PRO

PHILIPPO MELANTHONE

ORATIO IACOBI HERBRANDI S. THEOLOGIÆ DOCTORIS ET PROFESSORIS In Academia Tubingensi,

Oppositа

VVITEBERGENSIVM quorundam Philippomastigum falsissimis criminationibus.

In præfatione tum editionis causa exponitur, tum calumniæ aliquot VVitebergensium detegũtur & diluuntur



NEAPOLI Nemetum.

Anno 1598.

PRO

PHILIPPO MELANTHONE

ORATIO IACOBI HERBRANDI S. THEOLOGIÆ Doctoris & Professoris in Academia Tubingensi.

Oppida

PVTTEBERGENSIVM

quorundam Philippum adigunt pal-

In prælatione tum editionis cuiusdam explicatum, tum aliquot Virgilianorum locorum declarationem



CHRISTIANO LECTORI S.

MIRABERE forsan, Lector Christiane, qd causæ sit, quod hæc Oratio in obitum incomparabilis viri Domini Philippi Melachonis, habita in Academia Tubingensi, à Iacobo Heerbrando, Theologiæ Doctore, & Professore in eadem, ac Tubingæ edita apud viduam Vlrici Morhardi, Anno 1560. nunc denuò typis excusa in lucem & aspectum hominum proferatur. Verum si nostri facti rationes æquo animo velis expendere, probabis consilium istud, vti confidimus. Sic igitur accipe.

Nuper adeò pervenit ad manus nostras liber quidã Theologorum Vuitebergensium, cuius inanem titulum, opere necdum perfecto, ante semestre in catalogo Francofurtensi ostentarunt, Refutationem tractatus hi-

storiti de sententia Cl.V. Dn. Philippi Melanthonis in controuersia Cœnæ Dominicæ, ante plures annos à Cl.V. D. Casparo Peucero conscripti præferens: Hunc quum nos, qui Philippum communem præceptorem, vti par est, agnoscimus, auidè pellegeremus, cathedra Vuitebergensi digna, hoc est, pia, grauia, candida & erudita expectantes: adeò nos falli spe nostra comperimus, vt non potuerimus satis vel Academiæ illius sortem miserari: vel mataeologorum insanum summis & extra omnem iudiciorum aleam positis viris maledicendi cacoethes mirari: vel virulentissimum istud scriptum, quale ne quidem à iuratis Euangelicæ veritatis hostibus prodiisset, detestari.

Nõdum abiit seculum, ex quo Vuitebergæ schola fundata & constituta est: nõdum effluxerunt octo lustra, quum ea voce & calamo Philippi illustraretur: quo præceptore & gubernatore quoad vsa est, eius doctrinam, vt sacrum depositum, quoad fideliter custodiit, florentissimam & celeberrimam fuisse, quis ignorat? Intra paucos autem annos tot vicissitudines perpessam esse, & à talibus iam teneri, qui in sanctos Philippi manes

nes, Baccharum Bacchātium instar, furiosè debacchentur, quis non doleat? quis non indignetur?

Fuit profecto in Philippo virtus & sapientia excellens, naturæ bonitas, pietas, & doctrina summa, sanctitas ac modestia, φιλαλήθεια, φιλησυχία, αὐτάρκεια eximia, candor, patientia, humilitas, & de vniuersis ac singulis bene merendi cupiditas singularis: quæ dotes cum in ipsius scriptis, consiliis, actionibus, tota denique vitâ & moribus luculenter spectatæ, tum ellogiis bonorum & prudentum omnium, etiam summorum virorū, imò & dissentientium in religione, celebratæ sunt, adeò vt contra Zoilorum inuidorum & liuidorum latratus nomen & autoritas Philippi subsistat. Hic vnus propter exploratam eruditionem & fidem iussus à Proceribus piis, scripsit & Augustanam Confessionem cum Apologia, & omnes eius Repetitiones ac declarationes: Hic sinceram doctrinam defendit cum laude, & commodo Ecclesiarū, contra aduersarios, quibus terrori fuit: vti contra apud omnes pios domi foriſq; in gratia & pretio: neq; lucri & honorum spe, sicut hodie Theo-

logastri isti Philippomastiges, sed unius Dei gloriæ et Ecclesiæ salutis studio ductus, totâ vitâ labores summos et aliis inimitabiles tolerauit, et vocationi suæ sedulo incubuit, à polypragmosyne et ambitione alienissimus: Hic doctrinæ Christianæ systema seu corpus collegit, Ecclesias instaurauit, Euangelium latius propagauit: et se totum Deo et proximo impendit: vnde etiam à magnis viris viuus in terris sanctus appellatus est: In hunc tantum virum, supra trigintaocto annos in Domino quiescentē, belli isti Theologi, in cathedra Vuitebergensi successores degeneres, immaniter inuehuntur: et in beati mortui cineres hostiliter sæuiunt, hyenarum instar, sermonem humanum assimulantium, sed pastores dilaniantium. Neque patiuntur hi momi, verum esse, quod poeta profanus cecinit, (scit.

Pascitur in viuis liuor, post fata quie
Neq; meminerunt Atticam legem olim maledicta in mortuos omnia capite sanxisse, de iis autem nil nisi bene dicere præcepisse. Adeò nihil humanitatis, nedum pietatis, dilectionis christianæ, candoris et modestiæ istis inesse, libro suo maledico palam ostenderunt

derunt, in quo certè viuis se coloribus depin
xerunt (est enim oratio mentis character)
& atrum animum, ac multo felle venenoq;
suffusa corda reuelarunt, & cuiuis spectan-
da exibuerunt. Quo nomine sibi fidem &
existimationem apud omnes bonos detra-
xisse, & nos operosa confutatione tot calum
niarum liberasse statuimus. Pessimam enim
causam agere oportet, qui non aliter agere
possunt, nisi vt maledictis, non argumentis,
antagonistam obruant. Cum talibus con-
gredi & disceptare, sanè quidem piis, et mo
deratis ingeniis molestum & graue esse, quis
dubitet? Itaq; mallemus summi et incompa
rabilis viri Ioachimi Camerarij consilium
sequi, quod in pulcerrimo libro, quem de
curriculo vitæ Dn. Philippi verè et ac
tè contexuit, his verbis præscripsit: Conce
datur eis (Philippo mastigibus) *ista glo-*
ria, quòd inuicti sint. Sunt enim profe-
ctò iis armis, quibus ipsi decertant, im-
pudentiæ, dementiæ, clamorum,
cæci impetus ruentis in omnia, agitatę
feræ instar. *Hoc igitur restat,* abire pau-
lisper & abscondere se, dum transeat
furoris incitatio: *Non est pietatis religio-*

ſæ, eumulare rixas rixis, neq; Deo æterno grata acceptaq; vel veritatis talis tractatio. Et vt idem alibi ſcitè ait: Cum illis diſputare, non eſt laterem lauare, ſed manum impingere ſaxo. Nihil eſt omnium, quo magis freti ſint, quàm maledictorum, conuitiorumq; & inſectationũ apparatu, &c.

Verum enimuerò, cum luce meridiana clarius ſit, aduerſarios ſilentio & tolerantia noſtra, non ſolùm nõ mitеſcere, ſed multò etiam magis efferari, ac neſcio quos triumphos ante vllam victoriam ſibi decernere: deinde etiam pietas, quã præceptoribus, Eccleſiæ, & ante omnia Deo diuinaq; veritati debemus, efflagitet, vt ipſorum famam & innocentiam, & qua per eorum latus petitur, Dei gloriam & Orthodoxam doctrinam aſſeramus & propugnemus: nemo certè nobis vitio vertet, ſi falſiſſimas malignorum criminationes, quibus Philippum & Peucerum, olim Academiæ Vuitebergenſis lumina & columina, deformare conati ſunt, ab horum ceruicibus depellamus, & veritatem contra mendacia vindicemus.

Quandoquidem autem per temporis angustiam nunc non licet prolixiorem vindi-

catio-

cationem publicare: ad hæc aduersarij nostros libros alto supercilio despicere, & licet fidelissimos monitores, à suis finibus arcere, & prohibere solent: visum est hac vice ipsis opponere hanc orationem Clariss. Doct. Iacobi Herbrandi, Theologiæ Professoris Tubingensis: quemcum Vuitebergenses magni faciant, & meritò præceptorem ac promotorem agnoscant: non poterunt eius testimonium aspernari. Heerbrandum igitur audiant isti, & attendant, quantum Philippo tribuat: sua verò conuitia in Philippum temerè & nefariè iactata, cum pœnitentia recognoscant & retractent. Ex diametro enim præceptori suo vera dicenti repugnāt, & ab eo manifestissimæ vanitatis redarguuntur: vt ex breui hac collatione patebit.

D. Herbrando Philippus fuit vir summus, optimè de Ecclesia meritus, nulli secundus, exemplar pulcerrimarum virtutum, ingenij diuini, domicilium Spiritus sancti, & organum Dei electum. Hac eius verba sunt. At Vuitebergenses hac gloria Philippum, vndiq; corrasis occasionibus carpēdi, spoliare conantur. D. Herbrandus verè testatur, Philippum in omnibus facultatib.

excelluisse, cum alij vix singulas discant: ac in illustranda & promouenda Theologia D. Lutheri socium & Theseа fuisse, cui religionis veræ propagatio sit accepta ferenda: vt qui Theologiam ex scriptura & antiquitate constituerit. Contra Vuitebergenses, Philippum infra omnes deiectum vellent: Philosophorum sententias duntaxat collegisse: elementa, quantum tyroni satis sit, explicuisse: in Theologia parum præstitisse, Luthero non fidum socium fuisse, scribere non erubescunt.

Verissimè item Herbrandus asseuerat, Philippum adhibuisse methodum, & genus dicendi facile, tersum, proprium, neruosum: fuisse pacificum, sincerum, apertum, constantem, non flexiloquum, non collusisse cum hostibus, non metuisse pericula, non lusisse præstigiis, professum palam veritatem: odisse sophisticen. At Vuitebergenses contrarium suis persuadere nituntur, Philippi scripta ambigua, eoq; caute legenda esse: variis contentionibus in Ecclesia ansam præbuisse, ipsumq; autorem polypum, callidum, inconstantem, timidum fuisse. Herbrandus probat in Philippo, quod sua scripta recognouerit

uerit & locupletarit, vsu, pietate, exercitiis magis instructus. At isti profectum, recognitionem et emendationem, tanquam apostasian et crimen falsi, scurriliter exagitant. Ille nomen Philippi sacrum et hostibus venerabile dicit: Hi id exosum reddũt, et communibus hostibus contemnendum et deridendum prostituunt. Ille grauissimè inuehitur in sycophantas eos, qui famam Philippi arroserint, de fucatis conciliationibus dogmatum, de mutatione doctrinæ & rituum Ecclesiasticorum quædam spargendo, & sic optimum virum deformarint. At hi sunt ipsissimi illi sycophantæ, qui librum suum eiusmodi calumniis repleuêre, & ex Flacianorum, quos Herbrandus notat, ex Heshusij, Vuestphali, Iohannis Matthæi, & aliorum eius farinæ Mataeologorum φλυαρίαις, centonem hunc malè consuerunt, illas ipsas ἐωλοκρασίας, quas & Philippus viuus, & scholastici Vuitebergenses, & alij pij centies & luculentissimè abstersérunt, sine fronte reponentes, vt προφάσιν quandam habeant, sanctum Philippum, in suo theatro calumniosè traducendi, ac eius libros è natali solo elimi-

randi: quia his saluis & stantibus, Vbiquitaria sua figmenta consistere & vires acquirere non posse, satis animaduertunt. Denique singula consectemur, Herbrandus totus est in laudibus Philippi: At liber VViteber-gensis totus consumitur insectatione Philippi, & Peuceri. Vtri nunc parti fidem adiungamus? Procul dubio Herbrando, vt veraci testi, vt grato Philippi discipulo, vt seni, de Ecclesia Dei melius merito, vt qui ætatem ferè in communibus hostibus oppugnandis, pontificios puta, consumpserit: non his, degeneribus Herbrandi discipulis, hominibus nouis, inexpertis & φιλαύτοις, qui Ecclesiam intestinis discidiis lacerant, rixas augent, & optimè meritos Christi seruos flagellant & anathemismis feriunt. Hi scilicet erunt, quibus de Philippo falsa dicentibus credamus? qnos innumerorum mendaciorum vnica hæc Herbrandi oratio abunde conuincit, & coram vniuersa Dei Ecclesia confundit.

At enim excipient aduersarij: ista in laudem Philippi dixit & scripsit Herbrandus, ignorans eum à Luthero in articulo Cenæ dissentire, quod nunc palam est. Esto sanè,

sanè. Num ideo Philippus omni laude priuabitur? num in cum quæuis probra & contumeliæ conferentur? & summarum virtutum ornamenta, quarum exemplar, Herbrandi iudicio, & idea fuit, nil ei proderunt? contra sycophantarum morsus nihil iuuabunt? Apage cum isthac inhumanitate, fastu, tyrannide.

Non eadē sentire bonis de rebus ijsdem
Incolumi licuit semper amicitia.

Huic disticho modestā, & eruditā ingenia calculum album adijciūt. Quid enim? Nonne ipsi Apostoli, Patres etiam orthodoxi, pij, docti, & summi quiq; in Ecclesia viri „ *à se mutuò nonnunquam in grauioribus* „ *rebus dissensere? Non tamen maleuolentia,* „ *odijs, anathematismis certauēre. Potius in-* „ *quiramus, in quare, quibusq; de causis à Lu-* „ *thero dissenserit Philippus. Nec enim dis-* „ *sentire vitiosum est, nisi à veritate dissen-* „ *tias: vt nec consentire pulcrum, nisi in ve-* „ *ritate consentias. Non approbauit Philippus oralem manducationem carnis Christi in pane Cœnæ corporaliter præsentis, eamq; impijs cum pijs communem: pro qua vehementius quandoq; certauit Lutherus,*

& hodie eius simiæ, armis, non scripturarum, sed Pontificiorum.

Hoc ex libris Philippi clarissimè patet, ad quos Herbrādus ipse lectorem remittit. Quæ fuerit (*inquit*) sententia Philippi de Cœna Domini, & alijs articulis, quos nonnulli solent inhumaniter exagitare, malo pij omnes è scriptis potius ipsius, quàm ex aliorum clamoribus cognoscant.

Perplacet conditio. Fiat iudicium de Philippo non ex clamoribus, διαβολᾶις γοητείαις πανδέγων *modernorum VVitebergēsium, sed ex scriptis eius: quæ post Augustanam confessionem & apologiam (de his enim alibi disseretur) in lucem edidit. Vbi in istis vel apex de corporali præsentia & orali esu ac impiorum manducatione reperietur? Contraria omnia. Testatur hoc Examen Theologicum: in quo cum in genere de Sacramentis affirmat, esse ritus additos promissioni, quia vult Deus illustri testimonio* Visibili omnibus ostendere promissionem, & ijs applicare, qui eam fide amplectuntur, id est, testificari, quod promissio ad ipsos pertineat: *tum in specie de* Cœna, quod significet principaliter, nos esse membra Christi, & inseri eius corpo-

ri

ri & ablui nos ipsius sanguine: in cœna testari Filium Dei, se applicare credentibus sua beneficia & se assumsisse naturam humanam propter nos, vt nos quoq; sibi insertos FIDE membra sua faciat, & nos ablutos esse sanguine suo: se velle in credentibus deinceps esse, & se, cum sit λόγος æterni Patris, docere, viuificare, & regere credentes, sicut inquit Ioh. 15, Manete in me & ego in vobis &c.

Testatur idem cõmentarius in 1. Cor. 10. Poculum cui benedicimus, & panẽ quem frangimus, esse illam rem externam visibilem, qua sanguis Domini nobis exhibetur. Sic panis quem frangimus, est illa res externa visibilis, qua efficimur socij & membra corporis Christi: sicut dicitur, Euangelium est potentia Dei, id est, illa res, seu instrumentum, quo Deus est efficax.

Item, hunc esse calicem noui testamenti, id est, Ritum & pignus, seu sigillum Noui Testamenti. Nam testamentum principaliter & propriè significare ipsam promissionem remissionis peccatorum, Spiritus S. iustitiæ & vitæ æternæ, deinde, hæc beneficia esse res donatas hoc testamento, id est, hac promissione: & accedere externos ritus, qui sunt huius promissionis signa & pignora: Baptismum & Cœnam Domini

Cum autem Lucas & Paulus dicunt, Hic calix est Nouum Testamentum, metonymiam esse, vt si dicat, Fasces sunt imperium Romanum. Eodem modo intelligendam esse lectionem Matthæi & Marci, Hic est sanguis meus &c.

Testatur idem in explicatione Epist. ad Coloss. & Responsione ad Bauaricos articulos, vbi Θεοῤῥησίαν *Vbiquitatem, tanquam Eutychianam confusionem naturarum, explodit & refellit.*

Testatus est idem Philippus, adhuc viuente Luthero, in præfatione operum Basileæ Anno 1542. editorum, quid à se collectis sententiis Patrum de Cœna tribuendum sit: Mallem, *inquit,* omissas esse. Aliquæ sunt suppositiciæ: neque velim citatis nothis, confirmari abusus sacramenti *Et quomodo Augustanam Confessionem intelligendam iudicarit, satis docuit in confessione Saxonica, quæ ab ipso viginti annis post Augustanam scripta, vt concilio Tridentino exhiberetur, & à pluribus Ecclesijs approbata, eandem doctrinam repetit plenius & planius, vt meritò prioris confessionis interpres habenda sit.*

Denig, in consensu Francofurtensi Anno 1558

nv 1558. eadem de iisdem docuit; scilicet, Christum in Cœna sua verè & substantialiter præsentem esse, præsentiâ viua & efficaci, hoc est, spiritu suo in nobis operante, vt tanquam membra, ipsi capiti nostro vniamur & cõmunicemus, ac ex eo iustitiam & vitam hauriamus: nusquam autem dixit vel scripsit, Christum corporaliter in pane existere; & à pijs impijsq; pariter ore manducari.

Liquet ex his publicis monumentis Philippi sententia Eucharistica, eaq; verbo Dei, piæ vetustati, & sibi per omnia consentanea: Liquet etiam impudens, atrox & Satanicum commentum, vel potius mendacium (vt scapham scapham nominemus) Vitebergensium mataeologorum, qui Philippum clanculum varia molitum, cum aduersariis conspirasse, & tamen partibus Lutheri addictum videri voluisse, Thetida & Galateam simul amasse, aliud publicè, aliud priuatim, aliud domi, aliud foris sensisse, & ad amicos scripsisse, vociferantur: cum candidissimũ illud pectus iisdem prope verbis eundem animi sui sensum vbiq; expresserit; & in veritate agnita constantissimè

perſeuerarit: nec alia de cauſa Stentores iſti Philippum iamdiu Sacramentarium proclamarint: & adhuc proclament, niſi, quia apertius & contra ſe, & pro iis, quos Caluinianos vocant, ſententiam dixit, quàm ipſimet vellent. Ideo Veſanis & maledicis ſcriptis eum adoriuntur. Qua conſcientiâ igitur in tanto viro, qui priſcæ pietatis & virtutis exemplum & ipſiſſimus candor erat, candorem iſti nigri homines requirũt? Herbrandum potius de Philippi candore & ſinceritate vera prædicantem audiant, & ſequantur, ac tandem calumniari deſinãt, niſi diuinam vindictam experiri malint. Odit enim Deus loquentem mendacia. Teſtis mendax non erit impũnitus, & qui loquitur mẽdacia, peribit. Proverb. 6. & 9. *Atq; hæc in præſentia de cauſa edita iſtius orationis.*

Accedamus nunc ad librum VViteber-genſium, & præfationem obiter perluſtremus. Ordiuntur eam his verbis:

Edimus hoc libro refutationem impuniſſimi ſcripti, quod Caſparus Peucerus Medicus in contumeliam ſanæ doctrinæ de Cœna Domini, tredecim abhinc annis clanculum longe lateq; ſpartit, nuper verò

rò opera ſuccenturiata M. Quirini Reuteri Ambergæ typis diuulgauit.

In hac prima periodo penè tot vanitates & calumniæ, quot verba. Hinc, ceu ex vngue, leonem, & iure ne an iniuriâ de virulentia aduerſariorum queramur, æſtima lector beneuole. Principiò μείωσιν illâ; Theologica grauitate & inprimis cathedra VVitebergenſi dignam ſcilicet, aduerte: Caſparus Peucerus medicus. Contemtim: quaſi de triobolari quopiâ aut circumforaneo, forte ſeplaſiario, aut obſcuro veterinario, ſermonem inſtituerint. Medicus ſanè quidem eſt D. Peucerus, ſed in quem illud Homeri verè congruit, πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων; iam per quinquaginta annos ob eximia ſcripta in omni doctrinarum genere, & merita in Rempubl. præcipuè in Academiam VVitebergicam, illuſtris in toto orbe Chriſtiano: qui pleriſq; Theologis tum ſcientiâ diuinarum & humanarum rerũ, tum virtutibus, in iſto hominũ genere, quod titulo Doctorum Theologiæ adeò ſuperbit, quibus potiſſimùm ineſſe debebant, rariſſimis, tantùm ſupereminet omnes, quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi: cui à Chriſto

datum est, non solùm in eum credere, sed etiam pro eo affligi: in quo suæ prouidentiæ speculum non secus, atq; olim in S. Ioseph & Daniele, mirabiliter ex carcere & fouea liberatis, exhibuit. Medicus hic est, & talis quidem, qui phreneticis quibusdam, maniacis & lymphatis non paucis, Theologis (vt quidem audire cupiunt) me' i posset, nisi Hippocrates vetuisset ἐπιχειρεῖν τοῖσι κεκρατημένοις. Non addemus plura, quæ poteramus verè: ne viuo & per Dei gratiam diutius victuro palpare videamur. Admodum vrit istos Cleones, quod Deus etiam Iureconsultos, Medicos, Philosophos, ad veritatis notitiam ac vindicias, & falsorum dogmatum refutationem excitare; & illorum operâ nonnunquam Papalia sua cõsilia & fulmina bruta, vel retardari, vel dissipari cernere coguntur. Hinc illæ querelæ, quas in calce libri VVitenbergenses ex malè affecto stomacho eructarunt, de polypragmosyne Philosophastrorum, procuratorum, causidicorum, medicorum, ardelionum. His nominibus indigetant viros pios, doctos, prudentes, po[illegible]cos in sua verba non iurantes, nec lautis, vt ipsi, stipendiis

ad

ad sacra docenda conductos, sed tamen cœlestis veritatis amatores & fautores. Ibidem nominatim in duos summos Medicos, D. Th. Erasium & I. Cureum, iampridem vita functos, & immortali gloria dignissimos, ob pietatis studium & veritatis professionem rabiosè & atrociter inuehuntur. Quantum quæso distat hoc à Paparum Romanensium institutis? quónam alio fulcro nixa illorum hierarchia tamdiu stetit, nisi tali ignorantia, quam inuexêrunt & fouêrunt distinctione clericorum & laicorum factâ, contendentes, ad illos, ceu rasos & unctos, magistros nostros, ac Doctores Theologos, omnem religionis & sacrorum curam pertinere: hos autem, ceu ἀμυήτους, istis per orania auscultare, & ab ore eorum totos pendêre oportere? Sic (vt vnum exemplum afferamus, cuius Sleidanus quoq; meminit) Paulus III. Papa Carolum V. Imp. alieni officij vsurpati accusauit, quòd absq; Pontificis consensu Protestantibus synodum promisisset Anno 45. Haud secus isti à diuinarum literarum studio, & indagatione, à pia veritatis communicatione, qua vel ethnicorum testimonio nihil est naturæ magis

consentaneum, arcent tanquam profanos, doctissimos prudentissimosq; viros, & pelitiarum gubernatores, quia non sint titulotenus Theologi: mox implicitam fidem dũtaxat suis imperaturi. Quasi verò nõ omnibus Christianis verbum Dei traditum & scrutandum sit; ac inhabitare in nobis copiosè cum omni sapientia, debeat, vt Apostolus iubet Col. 3. Quasi non omnes (eodem teste Gal. 3.) simus filij Dei per fidem: quæ certè absq; diuinæ voluntatis notitia esse nequit. Quasi non fide sua iustus victurus sit: & eius rationem postulantibus reddere teneatur: inprimis tum, quando Dei gloria, proximi salus, aduersariorum improbitas confessionem liberam apertamq; efflagitat: qualis casus D. Peucero narrationem historicam, de qua tantam tragœdiam isti importuni mouent, extorsit. Sed vide, quæsumus optime lector, quo spiritu agitentur. Non certè diuino, quo acti Prophetæ & Apostoli, sancti Dei homines, locuti sunt. Moses, cum Eldad & Medad in castris prophetarent, Iosuæ cupienti eos prohiberet, respondit: An inuides tu meâ causâ? Vtinam totus populus Iehouæ prophetaret,

in-

indéte Iehoua ſpiritum ſuum illis. *Num.11. Paulus 1.Cor.14.31.* Poteſtis (*ait*) ſigillatim omnes prophetare; vt Omnes diſcant & omnes conſolationem accipiant.

Idem Lucam Medicum, dilectum vocat, & commendat, vt fidelem paraßaten in carcere ad extremum agona. Coloſſ.4. & 2. Timoth.4.

Nec obſtitit Lucæ ars Medica, quò minus ſanctum Euangelium, & Acta Apoſtolorum ſcriberet; quod dictante D.Paulo feciſſe, veteres, & inprimis Euſebius Hiſt. Eccleſ. lib.3. cap.4. duos iſtos medicinales libros, quibus non corpora, ſed animæ curantur, laudans, atteſtantur. Optant Moſes & Paulus omnes prophetare: iſti verò Theologi prohibent. Complectitur Apoſtolus Lucam, licet medicum, & ornat æterno præconio, tanquam Euangeliſtam, quem hiſtoriam Chriſti & Apoſtolorum publicare voluit: Hi verò medicum eundemq; hiſtoricum excellentißimum, propter narrationem certaminis ſacramentarij & rerum ſibi compertarum, oderunt, inſectantur, conuitiis obruunt: feſtiuè ad Hippocratem & Galenum relegant; de ſacris & ec-

clesiasticis rebus tacere iubent pro imperio. Quid isti, quaeso, dixissent Ecclesiæ primitiuæ temporibus, de sanctissimis multis viris? scilicet in alienam messem immisêre falcem Tertullianus & Rufinus, Iureconsulti suis temporibus celeberrimi, quorum fragmenta quædam Pandectis inserta leguntur: quum sacrum etiam, non iuridicum duntaxat, Codicem in manus sumsêre, literas sanctas, ecclesiasticas disputationes & historias tractarunt. Scilicet antiqui illi & longè clarissimi Rhetores, Minutius Felix, Athenagoras, Cyprianus, Arnobius, Lactantius, alijq; acerrimi Christianæ religionis vindices, damnandi sunt polypragmosynes, quòd vim eloquentiæ ad tuendam veritatem & Ecclesiam Christi contra gentilium calumnias summo & felici studio contulerunt. Sed quid pluribus opus est? Nemo certè, nisi impius & inuidus vitio vertet cuilibet, si suo loco veritati patrocinetur: cum ad hoc diuina vox omnes obliget. Itaq; sui animi morbum incurabilem & causæ desperatam malitiam produnt isti, qui ferre non possunt magnos viros de controuersijs in Ecclesia suo tempore agita-

tis

tis vera narrare, & quandoq; iudicium interponere, eo quòd titulum Theologorum Doctorum nõ gerant: quiq;, furentium Eumenidum instar, maledictis incessunt eos, qui errantibus comiter viam mõstrare, & malè sanis remediũ adferre cupiebant. Sed viderint ne quadret in seſe illud Christi:

Væ vobis, Scribæ & Pharisæi, qui claditis regnum cœlorum coram hominibus. Vos enim non introitis, nec introire cupientes finitis intrare.

Verum de subiecto propositionis satis. Pergamus ad prædicatum. Quod est grande illud nefas D. Peuceri.

Typis diuulgauit, scriptum, &c.

Falsum hoc est. Nec ignorare id possunt VVitebergenses, vt qui præfationem à M. Quirino, D. Peuceri scripto præfixam, & occasionem editionis istius, apertè, dilucidè, & verissimè recitantem legerunt. Quoties igitur istud in farragine sua repetunt, Peucerum sucenturiatâ vel conductitiâ opera M. Quirini Reuteri tractatum hunc diuulgasse, toties præuaricantur, & crassè calumniantur.

Imò malitiosè dissimulant, à suo quodam manipulari, nempe Slusselburgio, ma-

ledico & insulso homine, de linguæ pariter & vitæ impuritate bonis plurimis haud ignoto, Francofurti per eum typographum, qui βλασφημιῶν ἀμάξας ex istorum scriniis eruta typis excudere solet, D. Peuceri, tractatum primò diuulgatum & futilissimo libro, quem Theologiam Caluinistarum intitulauit, insertum esse, idq; sociis suis volentibus, applaudentibus, & probantibus, adeò vt in vernaculum etiam sermonem farraginem illam transtulerint, ac germanicè quoq; diuulgarint, ne scilicet clamosis demagogis & plebi furenti calumniarum in Caluinianos iactandarum materies deesset. Indigna hæc res visa viris optimis, infensos istos D. Peuceri hostes, dolo malo, & infamandi studio, miscere suo stercori aurum alienum. Itaq; placuit illis exire D. Peuceri historiolam seorsum, & à Flaccian cœno secretam. Hinc editio altera nata, non iubente, nedum procurante autore, imò nisi prius ab aduersario fuisset euulgata, nunquam permissuro: sed bono studio Quirini, qui præterea Philippi epistolas aliquot insigniores confirmationis loco adiecit, & publicationem maturauit, aliorum

præstantium virorum consilium secutus, quod piis non displicuisse satis ostendit eventus, & præpropera exemplarium distractio. Addunt epitheton falsissimum VVitebergici Theologi: Edidit impurissimum scriptum. *Ex impuro corde proferunt impura & fœtida mendacia homines impuri. Nam omnia pura puris: pollutis autem & infidelibus nihil est purum, sed polluta est eorum, & mens, & conscientia. Tit. 1. Confer Peucerianum scriptum, cum VVitebergico, lector; sanè illud pium, graue, purissimum: hoc nihil impurius, spurcius & leuius esse deprehendes. Sed quæro ex istis: si Peuceri scriptum adeò est impurum: cur vestri complices id primi ediderunt, & suo calculo publicationem illius, quam diximus, farraginis approbarunt? curin germanicum idioma traduxerunt? cur eo turpiter & malitiosè abusi ad ignominiam & inuidiam Philippi & Peuceri? Cum illis expostulate, non cum Peucero.*

Similis calumnia sequitur: Edidit (*aiūt*) in contumeliam sanæ doctrinæ de Cœna Domini.

Monstra fingunt ex suo cerebro. Ne qui-

dem edidit vnquã D. Peucerus hũc libellum: vti verißimè modò dictum. Quo pacto igitur vel doctrinæ, vel homini cuiquam contumeliam inferre potuit, aut valuit? Ex vestris ingeniis & moribus alios æstimatis. Vestri enim gregales, & ille Slusselburgius, alim ex Academia VVitebergensi ob præclara facinora relegatus, ac vindictæ cupidißimus, primùm, latina, post etiam alij Teutonica lingua, diuulgarunt in cõtumeliam, tum sanæ doctrinæ de Cœna Domini, tum CLL. VV. D. Philippi Melanthonis, & D. Peuceri, ac Orthodoxorum, quos immanibus conuitiis & inuidia Caluiniani nominis grauare & opprimere studuerunt. Huius contumeliæ depellendæ causâ, à Quirino Reutero alia & luculentior editio Narrationis Peucerianæ adornata est, bonis in hac vicinià cupientibus & probantibus.

Hinc alia caluminia Theologorum istorum patescit. Audacter pag. 126. scribunt, Ambergæ ideo libellum excusum, vt eius urbis Ecclesia perturbaretur & euerteretur. O quàm verè dictum, Suspicio mater calumniæ, & ὑπόνοια δεινόν κακόν. Nemicam quidem charitatis Christianæ habeãt

opor-

oportet, qui ex meris suspicionibus proximum adeò falsis criminationibus impetunt & traducunt.

Siquidem, nesciente prorsus & ne per somnium quidem de Amberga cogitante D. Peucero, libellum eius loci typographo traditum esse, certò scimus: idq; non ad turbandum quenquam, sed veritatem manifestandam. Nemo viuentium se læsum iure queretur. Nec enim vllius mentio facta inclementior. Quos præterea venenatæ istæ viperæ sibilis hisce petant, intelligimus. Si pius magistratus officium facit, si ciues subtectos è tenebris ad lucem vocat, à somniis humanis ad purum putum Dei verbum traducit, si turbulentos, seditiosos, perfidos à suggestu remouet, si falsa testimonia, conuitia, & calumnias in innocentes prohibet, si factitia nomina & animorum exacerbationem sublatam cupit, si magna cura totus in id incumbit, vt singuli pietatem ac honestatem colant, & tranquillam ac quietam vitam degant: tum isti magno clamore sublato, perturbari & euerti Ecclesias suas vociferantur, & quoscunq; possunt, tantùm non ad arma excitant. Istine sunt

pij, sinceri, mites, humiles, pacifici Theologi, & imitatores Christi? Imò verò alastores Ecclesiarum, & Rerumpublicarum perturbatores. Suo se indicio satis hic prodidere: quanquam aliàs ipsorum κατορθώματα in politijs aliquot exhibita, vel vulgo nota sint, Ἀλλὰ τὰ μὲν ἐάσομεν, ἀχνύμενοι περ.

Attexunt atroci calumniâ superiori VVitebergenses continuò aliam, eamq; notoriam. Peucerus (inquiunt) tredecim abhinc annis clanculum longè lateq; sparsit scriptum suum.

O meretriciam frontem! Tredecim, imò & duodecim, & vndecim: quatuor decim item, sedecim, & viginti ab hinc annis optimus D. Peucerus arctissimâ custodia detentus fuit, amicorum, imò & liberorum ac sanguine iunctorum, non consuetudine solùm, sed etiã alloquio priuatus, imò & charta atramentoq; destitutus: imò omnium, quæ in mundo gererentur, planè ignarus. Et iis tamen annis longè lateq; disseminauit per Germaniam & Europam sua scripta, si VVitebergensibus credimus. O gerras siculas! O Cretensibus mendaciores mortales!

lest Iterum. hinc iudicet æquus lector, quid hominibus hisce fidei, quid pudoris sit.

Vanitatem hanc alia vanitate cumulant, in margine adscribentes: Quirinus in præfatione iddicit.

At nihil minus dicit: Legatur præfatio: in ea contrarium reperitur: nempe Cl. V.D. Peucerum ante viginti annos, tempore tristissimo dissipationis Academiæ VViteber-gensis, narrationem hanc de Philippica sententia περὶ δείπνου κυριακοῦ contexuisse, idq; in vsum suorum: & summa necessitate, famæ contra maleuoloru calumnias tuendæ causâ, coactum: sed eam non edidisse, nec in lucem protulisse: Alium autem quendam prodijsse, qui spurcis suis centonibus illam inferserit & typis diuulagrit, ad odiu Philippo & Peucero apud imperitos conciliandum: Ideo multis præclara virtute & pietate viris operæ pretium esse visum, eam recudi fide meliori: quod factum sit bono consilio, in nullius hominis odium vel contemtum, sed solius veritatis patefaciendæ gratiâ.

Hæc cum pluribus in præfatione simpliciter & verissimè exponatur: nonne pudeat

istos Theologos tot calumniarum in vna periodo, eaq; prima? Quid existimas, lector, si totum librum sic examinaremus, quantum vanissimarum vanitatum aceruum tibi spectandum exhiberemus? & quis finis earum vel recensendarum foret? sed non libet Augiæ stabulum hoc pacto repurgare: Veritatem asseremus quàm breuissimè: mẽdacia post sponte euanescent:

Post tam bellam propositionem in frontispicio positam, pergunt VVitebergenses, Peucerum & Philippum extremè contemnere, & infamare impudentissimè, vt horum autoritate conculcata, ipsi regnum Antichristiano simile constituant, & obtineãt in cathedra VVitebergensi: quem ipsorum esse scopum vel cæcus videat. Est huic κεφ" κώπων ἀγορᾶς solenne, vt posteaquam effuderunt virus maledicentiæ, & quicquid splendida bilis suggessit; Thrasonicè se iactent, & in compitis exclament:

Vicimus, ô socij, & magnam pugnauimu' pugnam.

Adeo spes omnis victoriæ in dicacitate & conuitiandi consuetudine istis posita est. Verùm, vt præclarè Cyprianus ait, hoc est

Dia-

Diaboli opus, vt seruos Dei mendacio lacceret, & opinionibus falsis glorioſum nomen infamet, vt qui conſcientiæ ſuæ luce clareſcunt, alienis rumoribus ſordidentur.

Pagina prima D. Peucerum ſtatim vanitatis arguunt, idq; ſubinde in libro ingeminant. Quis hîc non exclamet, O tempora, ô mores. Iſtíne ventoſi, faſtu turgidi, dulci fortuna ebrij, nulla commendatione maiorum, nulla ſingulari doctrina, nullis meritis, ſed turbis in Eccleſiis vel excitatis vel auctis clari, & noti, nouiq; homines, de quibus Ennianum illud vſurpant aliqui,

Cedo, Rempublicam quî amiſimus tam citò?

Proueniebantur oratores noui, ſtulti, adoleſcentuli:

Iſtíne virum de multiplici doctrina, præclaris virtutibus, & meritis in Eccleſiam & Rempubl. Chriſtianam, longiſſimo temporis ſpacio, ad venerandam ſenectutem vſq; collatis celeberrimum, hiſtoricum grauiſſimum, & exteris nationibus admirandum, &, quod apud omnes pios longè maximum, conſtantiſſimum orthodoxæ veritatis contra figmenta Eutychiana ex orco reſuſcitata confeſſorem, ac martyrem

***

incruentum, malæ fidei & vanitatis redarguent? In ipsismet citius intentatum crimen hærebit; & certè hæret. Quid enim accusationi suæ prætexent? Illud nimirum, quòd D. Peucerus scriptum reliquit, Philippum Melanthonem non eandem cum Luthero sententiam, sed eam, de qua paulò ante ex ipsomet Philippo disserebamus, in negotio Cœnæ habuisse. Hæc est summa, hoc argumentum istius libelli. Quid contrà Witebergenses ad hoc afferunt? Fatentur se hoc scire, & scisse dudum, Philippum in eorum, quos Caluinianos vocant more suo, non Christiano, partes transiisse: hoc quiritantur, & insectantur. Quis igitur furor est? quæ sceleratior proteruia cogitari potest? quàm istorum mataeologorum, qui D. Peucerum adeò immaniter flagellant propterea, quòd de hac re, quam ipsimet isti fatentur veram esse, commemorarit ea, quæ sciret, quæ ex soceri ore audisset, quæ vidisset & experiundo cognouisset.

Rursus hinc statue, lector, quantum istis accusatoribus tribuendum sit. Sed benè habet, quod ipsi reum absoluere coguntur, eoq; se infamia notant.

Verùm

Verùm liberant D. Peucerum ſuſpicione malæ fidei præterea beati Philippi ſcripta. Pleraq; enim omnia, quæ ille in narratione habet: ab hoc niueo pectore antea ſunt amicis ſcripta & communicata: quod ſatis eius epiſtolæ, cumprimis ad Cl. D. Ioachimum Camerarium ſcriptæ, docent: quarum aliquot hoc nomine ſunt editioni nuper adiunctæ, vt ambigentibus ſcrupulus eximeretur, & de veritate Peuceriana narrationis conſtaret.

Tranſeunt inde VVitebergenſes ad Dn. Philippum, cui vidᵉri volunt in hoc proœmio nonnihil tribuere: ſed quo fine? vt credulos & incautos alliciant ſpecioſis verbis, ac poſtea communem noſtrum præceptorem audacius inuadere, & vtiliſſima eius monumenta ex ſcholis & Eccleſiis exturbare poſſint. Nam ſeriò iſtos Philippum laudare, nemo credet, qui maledicentiſſimum eorum librum, ex meris conuiciis in Philippi ſanctiſſimos manes ſine fronte & mente profuſis conflatum, ideoq; ad orcum, vnde prodijt, relegandum, vel inſpexerit.

Neq; tamen odium & malignitatem ſuam in proœmio quoq; celare potuerunt:

vtut aliquantulum occultare & palliare studuerint. Dum enim hãc genuinam Philippi laudem esse scribunt, quòd literarum studia & Dialecticen restituerit, philosophorum sententias collegerit, Physica elementa, quantum tyroni satis est, explicuerit, Chronica perspicua & breuia scripserit: reuera spoliant eum summa laude, quasi nihil aliud memorabile præstitisset. Sed ô felicem tum VVitebergam, quum ab hoc præceptore; sine quo non fuisset ea, quæ fuit; non illa solùm artium & philosophiæ præcepta; (quæ despicere & rudibus duntaxat tyronibus necessaria ducere, summæ insolentiæ & arrogantiæ est) sed longè maiora & nobiliora beneficia, Theologiam nimirum sinceram, ex limpidissimis fontibus sacrarum literarum pulcrè deductam, & in corpus doctrinæ Christianæ methodicè ac perspicuè redactam, acciperet, & conseruaret. Qua fronte igitur isti nouitij VVitebergenses, Philippo scientiam Theologicam, innumerabilia merita in Ecclesiam vniuersam, gloriam instauratæ veræ doctrinæ, continuis laboribus, curis, vigiliis, periculis partam, adimere, detrahere & negare audent?

audent? inprimis cum ipsimet fateri cogantur, quòd D. Lutherus Philippum pro socio in Theologia, & organo Domini non in literis humanis solummodo, verum etiam in diuinis vtilissimo agnouerit & prædicarit: quòd item in illa ipsa, quam isti parcè & obiter allegarunt, præfatione Operum Lutheri, Tomo 1. latino proximo ante mortem anno 1545. scripserit: multum diuq; se restitisse illis, qui suos libros, seu verius lucubrationum suarum confusiones voluerint editas, partim quòd noluerit veterum labores sepelire, & ab iis lectores abduci, partim quòd extent alij libri methodici, inter quos (inquit) Loci communes Philippi excellunt, quibus Theologus & Episcopus pulcrè & abundè formari potest, vt sit potens in sermone doctrinæ pietatis, &c. Item, optare Lutherum, libros suos abolitos, superstitiibus vel solis Locis communibus Philippi. Deniq; Lutherum his verbis ad Philippum vsum: Tu dono Dei maior es me in omnibus. ipsimet aduersarij non diffitentur. Lutherus igitur Philippo non tantum methodum & phrasin idoneam, sed etiam doctrinam Theologiæ puram &

incorruptã attribuit acceptamq; refert, cœlestis veritatis repurgationem, & Ecclesiarum constitutionem: vtut irascatur Sathan & omnes squamæ eius.

Quæ verò VVitebergenses subijciunt, præceptoribus, vtpote Philippo, non maiorem autoritatem, quàm Christo deferendam esse; nihil ad nos. Nec enim vllus mortalium tãti apud nos est, vt in eius gratiam Christi verba negligamus. Sibi potius hanc admonitionem dictam putent, qui Lutheri autoritate nituntur. At Philippum Christo contrauenire in doctrina de Cœna; hoc demum istis demonstrandum erat: non de magnorum virorum erratis fugiendis, quod nemo nescit, declamandum.

Addunt, plurima esse in scriptis Melanthonis, quæ cum iudicio legenda sint, quæq; variis contentionibus in Ecclesia ansam præbuerint.

Sed, ô viri boni, nónne talia longè plura sunt in Tomis Lutheri? Hos ne igitur similiter, vti Philippicos, virgulâ censoria notabitis? aut ex Ecclesia eijcietis? Si nobis nõ creditis, ipsum Lutherum audite, in præfatione operum suorum, obsecrantem: ante

om-

omnia oro pium lectorem, & oro propter Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, vt iſta legat cum iudicio; imò cum multa miſeratione, & ſciat me fuiſſe aliquando monachum. *Deinde quantas rixas & turbas in Eccleſiis veſtris, quas Lutheranas dicitis, Lutheri phraſes & ſcripta quædam excitarint, quid attinet commemorare? De quo præcipuo fidei articulo veſtri non hoſtiliter digladiati ſunt? & contradictorias ſuas opiniones, ex Lutheri verbis confirmare non ſtuduerunt? Teſtes ſunt veſtrorum manipularium Flacianorum, Antinomorum, Oſiandriſtarum de peccato originis, de libero arbitrio, de iuſtificatione, de bonis operibus, de lege & Euangelio concertationes; vbi nemo fuit, quin Lutherum in ſuas partes pertraheret. Sed teſtantur id abundè nuperæ veſtræ contentiones, de prædeſtinatione & Electione, cum fraterculo olim veſtro profugo Hubero, qui Iudæ oſcula ſibi à vobis præbita quiritatur: & vtrinq; tamen inſignes Lutherani cupitis audire. Interim quid libro Lutheri de Seruo arbitrio faciatis, an vt Caluinianum reprobetis, an verò obtorto collo contra mentem autoris in partes veſtras, & quidem vtriq; in ſuas tor-*

quæratis, incerti estis. Quid, quòd vos ipsi Societatis iam vltra decennium cum Brunsuicensibus, & inprimis Daniele Hoffmanno, bonis certè Lutheranis, ex Luthero de omnipræsentia carnis Christi litigatis? & in suspenso vestros auditores relinquitis, vtrum vbiquitatem deseruerit an retinuerit Lutherus. Quid, quòd idem Hoffmannus vos in articulo Cœnæ Dominicæ à Luthero discrepare, & non Christi, sed vestra verba, non τοῦτο, sed glossam seu figmentum propugnare contendit? Quia Lutherus pro Sacramentarijs habuerit vniuersos, qui non crediderint, panem Cœnæ esse verum & naturale Corpus Domini, eò quod Christus dicat, Hoc est corpus meum. Vos autem negetis, panem esse corpus, sed tropum adhibeatis interpretando, Hoc, id est, in pane latens corpus, est Corpus Christi, quod perinde sit, acsi verba Christi negetis. Vos igitur prouidi Censores, qui in Ecclesia, præturam seu dictaturam geritis, sed sine Ecclesiæ suffragio, monete Ecclesiarum & Scholarũ Præfectos, vt Lutheri potius, sicuti numerosa, sic dissentanea sæpe scripta, cautè & cum iudicio legant. Philippica, si quæ habent dubia,

quæ

qua quidem in tam perspicuo & dextri iudicij autore pauca sunt, à candidis in meliorem partem accipiuntur: in sinistram, non nisi ab indoctis & instabilibus rapiuntur, & deprauantur, vt & reliquæ scripturæ, ad suum ipsorum iudicium, teste Petro, 2. pet. 3. v. 16. Nec enim in illis vel Doctor Herebrandus præceptor vester, vel alij pij prudentes animaduerterunt quidquam, quod animis teneris instillandum non esset, sed tãquam periculosum & noxium venenum cauẽdum, vti vos fugitis. Odium vestrum in orthodoxam doctrinam tali velo tegere, vultis, quia Philippus vestris dogmatibus Vbiquitatis & oralis manducationis, aduersatur: Ideo vobis Philippus est hæreticus, Caluinianus, apostata, Sacramentarius. Nam ad cætera capita religionis quod attinet, nodum in scirpo, & insectandi materiam quæritis, non inuenitis. Atq; hîc iterum vos ad Herebrandum remittimus, vt ex eius oratione discatis de Philippo rectius sentire, & eam gratiam ipsi referre, quam bona pars Germaniæ, maximè verò VViteberga, pro restitutis non humanioribus solùm literis, sed in primis luce veræ do-

doctrinæ meritò debet. Sed si vos ingrati cuculi maximè pergatis maledicere: imò fremant licet, & ringantur Philippomastiges ac Cyclopes vniuersi: viuent tamen & florebunt scripta aurea cedroq; digna, laudesq; Philippi: Zoilorum autem chartæ putidæ minimè ferent ætatem, sed vt sunt fumosæ & fumũ vendunt: sic in fumum abibunt. Atq; hæc ad præfationem. Nunc etiam libri prolegomena paucis delibemus.

Exordiũ ducũt à Luciano atheo, Theologicũ scilicet, & magnificũ, secũdũ illud Pindari: ἀρχομένῳ δ' ἔργῳ πρόσωπον χρὴ δέμεν τᾶ λαυγὲς. Neq; caret omine. Quam enim personam hîc agãt, subindicarunt: nempe Lucianicam. Vt enim Lucianus Deos hominesq; risit & contemsit, sic & isti diuinam & humanam fidem ludibrio habent. Sed si Lucianus illis adlubescit, legant eius dialogum de sectis, & in eo se contemplentur: serioq; perpendant, quod ille de malis quibusdam, & falsa sapiẽtiæ opinione inflatis philosophis scripsit: Hi, inquit, etsi serò tandem sentiunt, se deceptos esse, quia tamen senio iam confecti sunt, idcirco reuersionis illos piget pudetq;, quòd vereantur confiteri, se

id

id ætatis cum essent, non animaduertisse; quam puerilibus rebus occuparentur.

Quapropter in iisdem permanent pudore retenti, præsentiaq; laudant, & quoscunque possunt ad eadem amplectenda cohortantur, ne soli decepti videantur, vtq; se cõsolentur aliorum multitudine, qui simili in errore versentur: Cæterum neq; hoc illos latet, fore, vt si vera dicãt, aliquid de autoritate, qua in vulgo eminent, detrahatur, honorq;, quo ante hac affecti fuerint, adimatur; hoc, inquam, an non æquè in se & suarum partium Theologos conueniat, quos ad manifestam errorum defensionem impellit ambitio, & respectus existimationis apud vulgus. Impudenter iactitarunt isti Witebergici in titulo libri, se ex immotis S. literarum fundamentis, & historiarum monumentis hanc refutationem extruxisse. Ampullas verborum sesquipedalium audimus, sed nullam refutationem. Verè nobis illud Cleobuli dicere licet: ἀμυσία τὸ πλέον μέρος, λόγων τε πλῆθος: inscitiam agrestem & copiam verborum inesse scripto isti: arenam sine calce: loquentiam sine sapientia. Clamant statim in fronte, fabu-

las & commenta esse, quæ D. Peucerus scripserit, indignaq; confutatione. Egregia sanè aduersariorum conuincendorum ratio: negare grauissimorum hominum testimonia. Quis hoc pacto non vincat?

Miscent inde conuitia, & Nestoriũ in theatrũ producunt. Artificiosa sanè transitio & cõnexio. Currẽte rota cur vrceꝰ exit? Quid nobis cum Nestorio? qua fronte & conscientia, Nestorianam hæresin Ecclesiæ orthodoxæ impingere audetis? Respondet hæc vobis vnâ voce: ἀβάπτιστοι εἰμὶ, φέλλοι ὦτες, ὑπὲρ ἔχθ ἄλμας. i. e. non obruetis me conuitiorum fluctibus insanis: Calumniæ vestræ petunt quidem nauiculam Christi, sed non obruent neq; mergent.

Vos videritis quàm procul à Nestorianismo absitis: Non certè magno interuallo. Quod paucis lectori, ne petulanti ipsorum garrulitate de similitudine Nestorianæ sententiæ cum Caluiniana, quam vocant, quicquam moueatur, facere non possumus, quin ostendamus

Testantur authentica veterum monumenta, quòd Nestorius Syrus Constantinopoleos Episcopus, homo fuerit vanus, audax,

dax, loquax, arrogans, & contemtor veterum Doctorum: qui Christi personam in duas discerpsit; negans Mariam esse θεοτόκον, seu Filium eius quoad Carnem, esse Filium Dei, quoad Deitatem: & vnam, hominem hominisq; filium: alteram, Deum, Deiq; filium constituit: ἐνεργητικὴ πρὸς ἀλλήλας tamen, societate, dignitate, gloria: seu (vt Cyrilli ad Successf. Episcop. Isauriæ Diocæsarienf. Epistol. 2. verbis vtamur.) iuxta honoris æqualitatem coniunctas: sic vt in homine Christo, tanquam templo, per gratiam inhabitet Deus: (id quod ex loco Colos. 2. In ipso inhabitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter, probare per eram volebat) propter quam inhabitationẽ, propria Deitatis, homini Christo competant, quadam videlicet participatione, nõ natura: vt qui donatus sit æquali potestate seu Diuinitate, ideoq; simul adoretur & colatur: ac per quẽ Deus operetur, ceu θεοφόρον, & organon suum; cui deniq; inhabitet perfectiori quodam modo, ac excellentiori donorum plenitudine, siue æqualis honoris communicatione: quàm aliis sanctis. Quam genuinam Nestorij sententiã fuisse, Cyrill. tum epist,

ad Succeſſ. poſteriori, tum lib. de Incarnat. vnigen. cap. 27. & 28. verbis his oſtendit: Neſtoriani dicunt homini donatam eſſe à Deo æqualitatem dignitatis: & contendunt ſolum hunc hominem omnia cum Verbo ſortitum fuiſſe, & honoratum maieſtate diuinæ eminētiæ. Legatur etiam Caſſianus lib. 2. cap. 6. Iſidor. lib. 8. Etymol. Damaſcen. lib. 3. Iam ſi collationem huius Neſtoriani dogmatis cum Vbiquitariorum placitis inſtituamus, Neſtorianam hæreſin illis non iniuria tribui, manifeſtum erit. Nam vt Neſtorius, ſic iſtorum anteſignani dicere ſoliti ſunt: Filium Dei aſſumſiſſe, & ſua maieſtate implere Filium Mariæ, quaſi perſona perſonam aſſumſerit, & alius ſit Dei, alius Mariæ Filius: Item, omnem diuinam maieſtatem effuſam eſſe à Filio Dei in Filium hominis: quaſi alius ſit Filius Dei, alius ſit filius hominis. Item, hypoſtaſin λόγȣ communicatam eſſe humanitati: quam modò in vnione, modò extra vnionem conſiderant: perinde ac ſi duæ ſint perſonæ, aut caro vnquam extra vnionem ſubſtiterit; qua ratione eos naturas diuellere, & vnionem ſoluere apparet. Definiunt itidem hypoſtaticam vnionem

tionem inhabitatione seu communicatione & transfusione gloriæ & proprietatum diuinarum, perinde vt Nestorius, dicto Pauli, Col. 2. In ipso inhabitat, &c. abutentes: Similiter asserunt Filium Dei per humanam naturam, tanquam instrumentum, omnia operari: Denique, non minus in Petro & quouis Sancto habitare λόγου, quàm in Christo, nisi quòd is humanitati suæ omnia, Petro & Sanctis non omnia communicet, &c. Quæ propemodum totidem verbis Ioh. Brent. in Recognit. & aliis libris, ac Iacobus Andreæ passim perscripserunt Nestorianismum adeo redolentia, vt vix ipse Nestorius ita trasse locutus videatur. Iudica nunc, Lector, vtri sint Nestoriani, nós-ne an aduersarii nostri. Imo verò tecum amplius expende, an non Eutychen rediuiuum iidem sistant. Hic enim humanam Christi naturam Deificabat, siue diuinis proprietatibus induebat, humanis exuebat: hoc pacto naturas earumq; proprietates confundens, humanam abolens, & in aliam quandam nostræ carni non. ὁμοόσιαν essentiam transformans, vti docet Theodoretus dialog. 2. Vigil. lib. 1. & 2. Euagr. lib. 2. C. 16. & alij.

Commune nihilominus habuit cum Nestorio, quod vterq; nullam inter naturarum & personæ nomina distinctionem admisit: quam errandi occasionem fuisse, tum alij Patres, tum Maxent. dialog. 1. & Boëthus, lib. de duabus naturis Christi, testantur.

Quid aliud faciunt Vbiquitarij, dum naturas in Christo proprietatib. exæquãt, eoq; cõfundũt, humanã humanis idiomatis exuũt, diuinis induũt, corpus deificãt, omnipotẽs, inuisibiliter & illocaliter in cælo pariter & terra repletiuè præsens, & à nostris ἑτερόσιον esse dictitãt: quod eadẽ definitione, qua nostra corpora minimè cõtineatur, aut cõprehẽdi possit: Christũ denique nõ carne duntaxat, sed Deitate quoq; passum esse non obscurè, perhibent. Sic vtriusque Nestorij puta & Eutychis monstra, in vnum portentum conflant: cum quibus itidem conueniũt in eo, quòd inter abstractum & concretum, naturam & hypostasin nimì nimè distinguere, communicationem idiomatum in realem confusionem conuertere, τρόπου ἀντιδόσεως vix ægrè admittere, veterum Patrum authoritatem eleuare, imò magno supercilio despicere, heri & nudiustertius soliti

luti fuêre: vix quoq; manus abſtinuêre, quin calamum in eos ſtringerent.

Nimirum iſti, qui manifeſtè in Neſtorianum pariter & Eutychianũ barathrum ſe præcipites dedêre, lutẽ de Neſtoriana hæreſi nobis intendunt, & audacter Eccleſias omnes, quæ omni præſentiali phantaſmati non aſtipulantur, quaſi Neſtorianas accuſant. Et hanc tamen primam ac potiſſimam afferunt rationem, Cur Peucero credendum non ſit, quia videlicet Neſtorianus ſit, & liber eius à maligno Spiritu profectus.

Nonne hîc audis Phariſæos Chriſto conuiciantes, Samaritanus es, & dæmonium habes, qui tamen ipſi hæretici erant, & ab atro ingenio agitabantur. Sed bellam ipſorum probationem audiamus. Ioannes ait, Omnis Spiritus qui non confitetur Ieſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo non eſt: At Peucerus & Caluiniani non fatentur Chriſtum in carne veniſſe, Ergo, &c. Negatur aſſumtio ſeu Minor: Eam probare volũt VVitebergenſes ita: qui negat realem communicationem Idiomatum, negat unionem naturarum, At Caluiniani negant realem communicationem Idiomatum, Er-

go, &c. Negamus propositionem seu Maiorem, tanquam falsissimam. Nec enim unio hypostatica est realis communicatio, vel, vt olim istis loqui placuit, effusio proprietatum deitatis λόγου in assumtam humanitatem sicuti theologi isti audacter fingunt: & hoc modo Nestorianismum renouant. Talis enim communicatio nunquã constituit personam. Sed unio hypostatica est vtriusq; naturæ, diuinæ & humanæ, integræ & distinctæ, in una persona copulatio. Nam S. Scriptura de tota Christi persona loquens, distinguit naturas suis vtramq; proprietatibus, vt mortificatus carne, viuificatus spiritu, &c. Excludit igitur talem realem communicationem proprietatum, quâ humana natura Christi reipsa sit facta omnipræsens, omniscia, omnipotens, viuificatrix, omnipræsentiâ, omniscientiâ, omnipotentiâ, & vita Deitatis increatâ & infinitâ: vel quâ actiones easdem cum λόγῳ seu Filio Dei edat & operetur: qualem Vbiquitarij recens commenti sunt. Opponuntur enim ἀντιφατικῶς, realis distinctio, & realis communio: proprium item & commune. Si naturarum propria distincta: si ea, quæ diximus, idio

mata

mata Deitatis sunt, vt sunt, etiam aduersariorum testimonio: certè non sunt communia. Sin communia: distincta & idiomata esse desinunt.

Præterea manet in æternum, discrimen inter Creatorem & creaturam, finitum & infinitum, &c. At si Deitatis idiomata realiter communia sunt humanitati: iam humana natura, non humana, finita, circumscripta, sed Deus ipsa fuerit. Ratio in prõtu est: Quia diuina idiomata, nec ab οὐσίᾳ vel Essentia Dei differunt, nec à sese mutuò separantur. Quid enim aliud est, omnipotentem esse, nisi Deum immensum, æternũ esse? Cui idiomata, ei & speciem seu naturam, cuius idiomata sunt, conuenire & tribui necesse est. Ideo communicatio talis idiomatum est ipsissima synchysis Eutychiana.

Quid quòd isti VVitebergenses hîc dissentiunt à Kemnitio cæterisq; cautioribus Vbiquitariis? Hi enim docent, quòd vnionem naturarum consecuta demum sit communio idiomatum & operationum: Quod fuit dogma Monotheletarũ, hæreticorum veterum, à sexta synodo Oecumenica damnatorũ, propterea, quòd deitatis volun-

tatem & operationes facerent communes humanitati, contra dictum Leonis: Vtraq; forma agit, quòd suum est. At isti definiunt vnionem personaiem, illa reali communicatione idiomatum, & hac negata, negari ipsam vnionem & incarnationem, fingunt absurdissimè: idq; nobis affingunt impudentissimè. Respondeant deniq;, quo iure inuexerint eiusmodi realem communicationem seu transfusionem idiomatum diuinorum in humanam naturam (quæ reuera est confusio naturarum) & negent interim, humana idiomata Filio Dei realiter communicata: cum ea, quæ in scholis dicitur, Idiomatum communicatio sit mutua, & veteribus, Theodoreto, Cassiano, Damasceno, synecdoche, epizeuxis, enallage, & communio nominum, tropus antidoseos nuncupetur. Vnde patet, nunquam eos existimasse, proprietates vnius naturæ reapse communicari alteri, & solas quidem diuinas humanæ: (Hoc enim in Eutychianis damnarunt) sed eas communiter prædicari de persona, Dei Filio, & homine: vt, Deus est crucifixus, homo Christus fuit ante Abraham, & ab æterno, &c. Sed de his alibi plura. Nunc saltem

saltem retorquebimus telum in aduersarios ictu validissimo.

D. Iohann. ait: Omnis spiritus, qui non confitetur, Christum in carne venisse, ex Deo non est, & hic est spiritus Antichristi. At VVitebergenses Vbiquitarij negant illud reipsa. Nam cum Christus assumserit carnem verè humanam, secundū quam frater noster est, visibilem & finitam, & quam semel assumsit, nunquam deposuerit, sed in cœlum sublatā retineat in æternum, in eaq; die nouissimo sit rediturus omnibus conspicuus: vt vniuersa Scriptura & Ecclesia semper docuit: isti D. Iesu Christo nescio quam carnem inuisibilem, incircumscriptam, impalpabilē, vbiq; locorū, in cœlis, aëre, terra, inferno, & in singulis mundi partibus, particulisq; minimis, totā tota substātia realiter existentem, contra S. literas, & Catholicum Orthodoxum Ecclesiæ consensum affingere non dubitant. Illatio manifesta est, cuius spiritus filij tales habendi sunt.

Confirmationis loco adijcimus illud Augustini tr. 8. in Ioh. Qui videntur sic honorare Christum, vt negent eum Carnem habuisse, ipsum mendacem prædicant.

Nonne igitur ex his concludamus, illum ipsum Antichristi spiritum, mendacij patrẽ, tot fœdissimas calumnias, quot in pios & innocentes hîc euomuêre VVitebergici, dictasse, eoq; nihil omnino fidei istis adhibendum esse, & in eos falsissimas criminationes nobis intentatas, iure regeramus?

AEquè futiles, ac ista prima, sunt cæteræ istorum exceptiones, D. Peucer (ajunt) est testis domesticus: At tantò verius testari potest de Philippo, quantò ipsi familiarior. Num ex Illyrico Vindelicisve quendam pro se nuper conductum testem isti arcessent?

Addunt tertiam: D. Peucer est vnus. At vnus iste instar omniũ, & fide dignior, quàm plurimi illi, seu vulgus, ad quod isti prouocant, actores populares. Sed neque id verum est, vnum & solum Peucerum testari de Lutheri & Philippi consensione & dissensione. Nam & antehac idem voce scriptisq; testati sunt, & adhuc testãtur viri senio, prudentia, autoritate grauissimi, tum in Palatinatu, tum in ipsa Saxonia, tum alibi: qui enormia mendacia istorum vno ore detestantur.

Quid

Quid quòd pleraq; omnia, quæ dixit D. Peucerus, ab ipsò Philippo ad familiares perscripta leguntur? Quid quòd isti calumniatores non diffitentur, Lutherum scisse, Philippum suæ sententiæ de orali manducatione non suffragari? idq; Electori non fuisse ignotum? Qua conscientia igitur Peucero id & alijs, potissimum scribenti fidem detrahunt?

Quartò dicũt: Peucerus testatur de ignotis. At madò dicebant esse testem domesticum? Viden' vanitatem, & spiritum vertiginis. Deinde fuit ille tum αὐτόπτης rerum gestarum à Luthero & Philippo per annos plurimos, tum auditione reliqua accepit à Philippo, veracissimo & fidelissimo, tantò illo optimo omnium bonorum, quantò hi sycophantæ pessimi omnium malorum, qui Philippo & Peucero fidẽ derogare nituntur.

Sed nonne bellum & Academia dignum est istorum axioma, nulli fides habẽda, nisi qui sit oculatus testis. Quid ergo fiet historicis vniuersis? Quem nominabunt, qui omnium rerum à se scriptarum spectator fuerit? Omnes igitur mendaces? Imò regeramus in autores ita: Vos, vos, noui homines,

de ignotis rebus multa confidenter blateratis, qui nec Lutherum nec Philippum audistis vel vidistis. Vestra igitur testimonia suspecta sunt.

Quinta exceptio istorum est, D. Peucerus immittit falcem in alienam messem. Nugæ, coccysmi, fumi. Supra respondimus. An verò Theologicarum rerum peritus sit Peucerus, scripta loquuntur, inprimis liber de diuinatione, ab ea recognitus, quam attentius & libentius legunt vbiq; eruditi, quàm pro voto istorum Flacianorum Calumnias, quas attexunt atrociſsimas, viro quolibet honesto indignas, & istos mataeologos, tanquam scurras leuissimos, omnibus piis, candidis, honestis lectoribus inuisos & execrabiles reddituras, solidè refellere possemus & vellemus, nisi tempore iam prohiberemur. Fiet id aliàs, & ab aliis quoq; Philophilippis: Deo iuuante, bonis approbantibus.

Interea prodromi vice, nunc sibi habeãt Orationem D. Herbrandi, ad quam audiendam, legendam, ruminandam illos inuitamus, vt ex præceptoris sui verbis intelligant, quantus vir fuerit Philippus & quãto

contra

contra, quámque nefario ſcelere ſe obligarint, dum optimum Philippum, in ſinu Abrahæ iam prope 40. annos quieſcentem, adeo contumeliosè in vaniſſima iſtâ farragine, nuper in conſpectum hominum prolata, ſed ad Erebum maneſq; profundos, & ſempiternas tenebras detrudendâ, tractare, ſanctamq; animam, contra diuinas humanaſq; leges, & omnia humanitatis iura, vel gentibus à vero Deo alieniſſimis ſanctiſſimè obſeruata, furiarum validarum inſtar, allatrare & exagitare non erubuerunt: vtq; posthac, D. Herbrandi exẽplum & modeſtiam in ſcribendo ſaltem imitentur, & vaniloquo faſtu, malignitate, odio, liuore, aliiſq; prauis affectibus ſepoſitis, veritatem audiant æquis animis, nec contra conſcientiam obſcurent vel oppugnent: ſed potius recordentur dicti Sapientis: Aduenienti ſuperbiæ euenit ignominia: apud modeſtos autem eſt ſapientia. *Prouerb. 11. 2. vt tandem, etſi ſerò, ſeriò tamen reſipiſcant, quod ipſis à Deo exoptamus.*

* *
*

Errata.

Pag. 20. linea 16. excitare, omissum est, solet.
Pag. 29. lin. 19. factitia, lege factiosa.
Pag. 41. lin. 6. iudicium, lege, exitium
lin. 12 fugitis. lege, fingitis.
Cetera, vt literas vel distinctiones transpositas, sponte corriget lector.

PRO PHILIPPO MELANthone oratio D. Iacobi Heerbrandi.

CONVENImus, Magnifice Rector, Generosi Comites & Barones, Senatus amplissimus ornatissimáque concio ad tumulum honorarium, Domini PHILIPPI Melanthonis, qui Mense præterito ex hac misera, & æruminosa vita decessit, eamque feliciter, cum illa beata & perpetua commutauit (sicut ad nos nona huius mensis perscriptum est) iusta ei facturi & exequias, postremumq; hoc pietatis officium præstituri. Ex cuius obitu omnes pij & boni ingens accepere vulnus: ac publicus, & communis totius Ecclesiæ

& Scholarum luctus est, quæ optimo ac fidelissimo Doctore ac Præceptore sunt orbatæ. Quòd si vnquam casus aliquis, non modò Scholis, sed etiam Ecclesijs omnibus, tristis & acerbus accidisse videri poterat, hic certe multo maximè omnium lacrymis deplorandus erit. Neq; paruam iacturam fecit Respubl. Christiana, tanto viro priuata. Ereptus est enim terris vir præstantissimus & summus, optimè de tota Ecclesia suis laboribus meritus: pietate, virtute, sapientia & eloquentia excellentissimus, cuius ingenium plane fuit diuinum, & domicilium Spiritus sancti, eruditio multiplex, & pene incredibilis, cui hisce temporibus neque terra tulit, neque Sol hic aspexit similem, cuius vel in Rempub. literariam, vel in Ecclesiam, quibus fidelissimo & vtiliter longissimo tempore, nullis laboribus parcens, seruiuit, merita extent plura aut maiora.

Veras has laudes Philippo nūc ingrati Witebergenses detrahere conātur, impudenter & frustra.

Quare quod Heliseus Prophęta, curru igneo in cœlum præceptore suo Helia sublato, tristi & lugubri voce ingeminando

minando; abitum ſiti præceptoris deplorat, clamãs, Pater mi, pater mi, currus Iſrael & auriga eius: id nos quoque facere, multò æquius eſt. Occidit enim, heu occidit, Rector & gubernator ſummus ſcholarum & Eccleſiarum. Quæ igitur ingratitudo, quæ impietas maior dici, aut excogitari poſſit, quàm talis viri obitu non affici?

Cum igitur de ſummo & eloquentiſs. viro, cui etiam Eraſmus in ſuo Ciceroniano, primas inter eloquẽtes ſuo tempore tribuit, verba ſint facienda; oratio requirebatur eloquentiſſimi, & arte elaborata, exquiſita, & abſoluta, quæ laudibus ipſius ampliſſimis, ſplendore ſuo par eſſe poſſet. Nam ſi Alexandrum Magnum, nefas erat niſi à Lyſippo & Apelle præſtantiſſimis artificibus pingi, cur Philippum ter maximum, niſi à ſummis ingeniis, & artibus dicendi inſtructiſſimis laudandum exiſtimabimus?

Ego verò cùm ab iſta dicendi facultate lõgiſſime abſim, & meæ mihi conſcius ſim infantiæ, plurimos quoq; in

hoc cœtu clarissimorum virorum, & oratoria instructos, mihiq; hac in re parū exercitato longè præcellere, coram videam, merito omnium incurrerem reprehensionem, si mea sponte has dicendi partes susceperim. Verum cum & Illustrissimus noster Princeps, pro singulari sua, & principali erga studia & Ecclesias clementia, id à nobis requireret, & Senatus scholæ amplissim. hoc ipsum ad officium suum pertinere iudicaret, statim nunciata morte viri incomparabilis, debitis eum laudibus ornare, mihique tanquam discipulo ipsius, qui eum plurimis annis docentem audierim, cuiq; historia notior sit, quam forte aliis, iniunxerit. & ego precibus frustra reluctando, nihil proficerem, nolui odiose repugnare, ne vel ingratus erga præceptorem, præclare de me meritum, cui omnia mea, vt debeo, accepta refero, vel laborem subterfugere, aut senatus authoritate parui facere (quæ omnia à me alienissima esse volo) iudicarer. sed hoc quale cunque pietatis & gratitudinis officiū po-

stremum

ſtremum præſtandum, & quoquo modo in hac materia elaborandum, pium eſſe exiſtimaui. Idque eo facilius mihi perſuaderi paſſus ſum, quòd per ſe ſuis ſcriptis, rebus præclariſſimè geſtis, virtutibus, vita denique integerrimè acta, clarus ſit, & illuſtris, vt opus non ſit ſplendorem orationis adhibere. Hoc enim aliud non eſſet, quàm ſoli lumen addere, ſed tantum veritas & bona fides à me requiratur.

Herbrandus gratus Philippi diſcipulus nefarij ſceleris diſcipulos ſuos Witebergenſes hîc redarguit, qui ne qui dem beatis manibus Philippi parcunt.

Optarim autem, ſi ita Deo Opt. Max. viſum fuiſſet, vt viuo potius Domino Philippo, eam, quam ipſius erga Eccleſiam, Rempublicam literariam, & me priuatim beneficia poſtulabant, gratitudinem præſtare poſſem, quàm erga vita hac functum, hoc qualicunq; officio animum noſtrum declarare. Verè enim affirmare poſſum, nihil mihi triſtius in vita accidere potuiſſe, hoc nuncio, de obitu tanti viri, quo ita conſternatus ſum, vt neq; me ipſum colligere, neque animum ad cogitandum inſtituere potuerim. Ideo veniam mihi dari peto, ſi expectationi veſtræ non re-

ſponderit oratio, neq; eloquentiam &
ſplendorem, quem & perſona, de qua
dicitur, & argumenti grauitas, ac varie-
tas requirit, adhibeam.

Non inſtituam autem, Græcorum
more, Panegyricam laudationem, ſed
propter iuniores hiſtoriam vitæ breui-
ter recitabo, de ſtudiis, eruditione &
ſcriptis dicam, pauca quædam de mul-
tis attingēs & quaſi procul oſtendens.
Quibus deinde nonnulla de doctrinæ
genere, quod profeſſus eſt, ſubijciam,
vt memoriam ipſius honorifice con-
ſeruemus, & omnes intelligant, grata
& iucunda nobis ipſius fuiſſe officia: &
ſpero hæc auditoribus non iniucunda
fore: nam & de doctrina multa monēt,
& exempla vitæ illuſtria, omnibus, im-
primis vero ſtudioſis vtilia, continent.

Et vt initio, more ſolito, quędam de
Patria dicam, natus eſt Dominus Phi-
lippus in Palatinatu Rheni, oppido
Bretta, Anno Domini 1497. minutis
ſex, poſt horam ſeptimam pomeridia-
nam, die 16. Februarij. Locus natiuita-
tis non procul hinc diſtat, quod ſcitis,

Natalis dies & locus Philippi.

vt me:

vt merito nobis eum vendicare queamus. Scimus olim multas Græciæ ciuitates de Homero mortuo certasse, singulis ciuem suum & apud se natum magnis contentionibus asserentibus, quod plurimum hinc laudis patriæ accedere iudicarent, talem & tantum virum in sua ciuitate, in hanc lucem editum esse. Nec nos igitur in postrema fœlicitatis & laudis parte ponemus, lumen hoc Germaniæ, imò mundi potius, in hac vicinia ortum esse. Sed gratulemur nobis & patriæ, quòd talem ciuem, non nobis modò, verumetiam toti orbi Christiano, cuius memoria, & monumenta viuēt, vigebunt & florebunt apud omnem posteritatem, produxerit.

Ortus est autem parentibus, qui honesto apud suos loco fuere, sicut etiamnum hodie frater ipsius Georgius Schwarzerd / illic Magistratum gerit. Parentes.

Mater sapientia admiranda, in tota illa vicinia excelluit, clara, & celebris fuit.

Sed de his non opus est plura addere.

Nam si maximè obscuris natus fuisset

Maioribus: tamen virtute sua ita illis præluxit, vt si prius noti non fuissent, à se initium memoriæ suæ accepissent (libet enim verbis Ciceronis vti.) Ac multo satius est, propriis virtutibus florere, quam Maiorum opinione & imaginibus tãtum niti, & posteris initium nobilitatis præbere, quàm aliunde acceptam, vita turpiter acta, tenebras offundere.

Cum igitur facultates illis mediocres essent, honestè etiam & liberaliter filium educari curauerunt, & ad studia literarum adhibuerunt, quorum rudimenta prima in patria sine negotio didicit, vt omnes spem maximam de illo conciperent. Nihil enim mediocre ingenium pueri pollicebatur.

Deinde verò ad portam Hercyniæ, cui nomen est Pforsheim, à parentibus est missus, vbi apud sororem Capnionis cognatam vixit, & illic apud Georgium Simlerũ, qui postea hîc primùm bonas artes, postea verò Iura professus est, ac Ioannem Hildebrandum, viros eruditissimos, Latinę & Græcæ linguæ exercitia

exercitia habuit, quod ad nos ipse anno superiori Calend. Maij scripsit.

Illinc Heidelbergam vicinam Academiam à suis est ablegatus. florebant enim illic studia literarum, vt illa ferebant tempora mediocriter, vbi & primam lauream est consecutus. Anno C. 1511.

Postea consilio Reuchlini cognati, qui eum non nisi filij nomine appellauit, & Simleri præceptoris, Tubingam venit. Fuit autem Reuchlinus, vt hoc quoq; obiter addã (cum in hac schola Hebræam linguam sit professus, & in hoc ducatu mortuus) primus, qui studiũ Græcæ & Hebraicæ linguæ in Germania excitauit. Et cũ Romã esset vocatus à Pontifice Leone X. vt causam suam contra Hohenstrat Monachum, inquisitorẽ Hæreticæ prauitatis, à quo erat accusatus, & iam à Colonien si & Parisien si scholis damnatus, liberq; eius exustus. Ibi Argyropilum, natione Græcum, publicè Thucydidem profitentem, studiosè audiuit, quumq; Argyropilus Germanum esse intelligeret, quæsiuit, num Græca legere nosceret? Reuchlinus.

ille verò non modò eleganter legeret, verumetiam interpretaretur difficillimum authorem, exclamauit in publico: Ecce Græcia, nostro exilio, transuolauit Alpes.

Habuit Tubinga eo tempore viros prestantissimos in literis & linguis, præter Reuchlinum & Simlerum, quo ante præceptore vsus fuerat, Brassicanũ, Bebelium, Poetas laureatos, Ioannem Stofflerum, Mathematicum insignem & alios eruditione præstãtes viros, cum quibus Dominus Philippus familiariter est versatus; & in discendo aliquorum opera vsus, præsertim Simleri, qui dicere solebat, Discipulum præceptore doctiorem esse, Stoeffleri & Magistri Francisci Stadiani, professoris Aristotelis doctissimi, ac celeberrimi, quos triennio diligenter audiuit.

Perceptis artibus, linguis & Philosophia, partim à Præceptoribus, partim verò priuato studio, honores & gradũ Magisterij philosophici in hac schola petit & consequitur, anno à Natiuitate Christi 1514. in die cõuersionis Pauli, Decano

Decano Magistro Ioanne Kress, & inter vndecim Candidatos primum locum obtinuit.

Postea & docere simul cœpit in hac Schola bonos authores, Vergilium & Terentium, quem, quia prosa oratione scriptus videbatur, (sicut prima exemplaria vetusta, eodem modo excusa, quæ nos quoq; in nostra pueritia vidimus, testantur) monstrato carminis genere, restituit, & in hac Schola quinque eius Comœdias enarrauit.

Deinde oratoria lectione sibi demandata, Ciceronis quedam opera iuuentuti proposuit. Postea etiam Liuij libros sex absoluit, & simul tum inter docendum ad sublimiora studia animum applicauit. Cumq; valeret ingenio quod ad studia natum erat, & omnium capax, non vni studiorum generi se dabat, sed omnibus, idq; adeo feliciter, vt quod auditu mirum est, cum alias singuli vix singulas artes rectè discant, hic omnes & singulas ita didicerit, vt vni soli operam dedisse videri potuerit. Nec artes modò dicendi, & lin-

Philippus in omnibus facultatibus præclarè versatus.

guas, sed totam Philosophiam: & quid dicã Philosophiam? parua enim hæc, licet magna sint, videbantur, ideo non contentus iis, ad sublimiora studia, facultates vocant superiores, se contulit, easq; omnes didicit, nec obiter gustauit, sed tantum in iis profecit, vt etiam cum summis artificibus & Professoribus certarit. Audiuit hîc in scholastica Theologia Doctorem Lempum, qui tum precipuus habebatur, & alios Professores Simlerum, quo antea vsus erat Præceptore in discendis linguis, iura hîc profitentem studiose audiuit, & facile cum artes dicendi & Ethicen recte didicisset, ingenioq; excelleret, in illis studiis cum fructu versari potuit: quantumq; in eo studio profecerit, libri de his scripti testantur, & hîc leges priuatim docuit. Medicam verò artem non neglexit: sed & hîc Professores eius docentes audiuit studiose, & Galeni libros cum propter linguam & methodum, tum propter rerũ cognitionem ita legit, vt sententiam authoris sit consecutus, & pleraq; memoriter recitare potuerit,

potuerit, eiusq; rei specimen dedit in libello de Anima.

Hæc omnia celeriter didicit, vt omnium in se oculos conuerteret, cum discipulus ne, an Doctor, ac professor prius esset, merito quis dubitauerit. Fuit enim in eo diuina quædam vis ingenij, acies mentis, iudicij dexteritas, memoria admiranda, vt meminerit omnium, quæ vel legisset, vel audiuisset vnquam, circumstantias temporum, locorum, personarum, & nomina quoque, versus, sententias, & periodos memoriter recitare posset, vt iure eum miraculum naturæ dixeris.

Atq; hoc modo adepto gradu Magisterij, quadriennio hîc vixit, Doctor simul bonarum literarum, & discipulus grauiorum studiorum.

Iam tũ certamina de religione Vvitenbergæ, per Reuerendum virum, Dominum D. Martinum Lutherum, in causa Indulgentiarum erant mota. Et optimus ac Prudentissimus Princeps Fridericus dux Saxoniæ Elector, Scholam à se institutam fouebat & or-

rabat, vndique accersitis viris doctissimis. Inter reliquos verò etiam Reuchlinum, cuius tum in tota Germania celebre erat nomen, Vvitebergam vocatum esse, audiui. Verum patriam, cui ipse tum Triumuir Sueuiæ præerat, deserere noluit: adesse autem se longè maiorem, Philippum Melanthonem inuenem, respondit.

Vocatur itaq; Deo sic volente, Vvitebergam ab Electore, Anno Domini, 1518. natus ipse annos 21. vt Græcas literas doceret, vnde vulgò illic initio Græcus est dictus.

Discedente Domino Philippo Tubinga, Simlerus Præceptor vir eruditione præstans, deplorandum esse toti ciuitati eius abitū dixit, & subiecit, Omnes illos qui Tubingæ viuerent, non eò vsque progressos esse in studiis, vt quantus esset hic vir, qui iam discederet, intelligerent: quod tamen citra vllius iniuriam dicere voluit. Nec falsus est suo iudicio. statim enim vbi Vvitebergam peruenit, vtranq; linguā Græcam & Latinam docuit, & vt id cum

fructu

fructū præstaret, ne auditores multitudine & prolixitate Præceptorum, quæ aliàs molesta sunt, deterrerentur, eaq; facilius addiscerent, præcepta vtriusq; Græmmaticæ in compendium redegit & edidit, vt nō solum suis auditoribus, sed toti Germaniæ consuleret, studiaq; linguarum accenderet. Et pulchrè respondit Euentus. Nam ab illo tempore in omnibus Scholis & omnium puerorum manibus libelli versantur. Philippi scripta Grammatica.

Hæc fundamenta vbi iecisset, cum videret obscurè & intricatè præcepta Rhetorices & Dialectices vulgò tradi in scholis, nullumq; vsum artiū monstrari, adhibitis exemplis, quibus præcepta illustrari darentur, partim esse ridicula, partim non esse obscura, ac ipsa præcepta, in quibus etiam multa inutilia haberentur, hunc in se recepit laborem, vt ex Aristotele ipso, Cicerone, & Quintiliano, optima & præcipua, pauca tamen, si ad ingentem istum aceruum conferantur, seligeret præcepta, quæ subinde quibusdam additis auxit, vt postrema artem totam complectātur. Rhetorica Dialectica.

Et quia præcepta nuda amara sunt & obscura, illustria addidit & vtilia exempla, quibus vsus artiū & præceptorum, & quomodo ad omnia negotia in tota vita, ad artes & disciplinas omnes, accommodanda essent, demonstrauit, eaq; omnia tanta perspicuitate & dexteritate proposuit, tali methodo & ordine, exemplisq; additis, ita illustrauit, vt obscurissima alias, difficillima & abstrusissima, ab omnibus facile & nullo negotio intelligantur.

Physica. Ethica.

Præterea, vt adolescentes ad veram Philosophiam quasi manu duceret, Physices & Ethices Epitomas conscripsit, in quibus, vt aliis omnibus, sic in disputationum Philosophicarum, monstrauit, atque ad vitam communem transtulit. Quam venuste enim, vt alia omnia omittam, iustitiam commutatiuam & distributiuam, quarū vtramq; Aristoteles æqualia æqualibus reddere ait, illam quidem proportione Arithmetica, hanc vero Geometrica, ad communem vitam applicuit, quæ in contractibus & personarum ordinatione

tione consistit: Vt in contractibus simpliciter precium mercibus respõdeat, ad Reipub. verò & aliorum officiorum in omni vita constitutionẽ, non quoslibet sine discrimine ex fauore, propter imagines & generis prærogatiuam, aut inanes titulos adhibendos; sed optimos quosq; & maximè idoneos. Hæc si non obseruentur, ciuilem hanc communis vitæ societatem consistere non posse, sed collabi Respub. & omnia perire necesse esse. Talia multa occurrũt in scriptis D. Philippi, quibus certè Aristotelis sententiam illustrauit & vsum docuit, vt artes finem suum consequerentur, qui est, vtilitas aliqua in communi vita.

Quid de Physicis disputationibus & libellis dicam? quid de Astrologicis? libello item; in quo non tantum de Anima disserit, sed de totius humani corporis formatione, partibus, omnibus affectibus, humoribus, anatomia & similibus? Quid de orationibus elegantissimè de variis rebus scriptis? Dies me citius deficiat, quam res & verba. Nam

in argumẽto adeò copioso nemo tam iciunus est, cui verba deesse possint.

Cum autem eo tempore, nõ solum Aristotelicorum præceptorũ vsus non traderetur, sed etiam Philosophia ipsius à malè feriatis hominibus cum Theologia confunderetur: verum præceptorum, & Philosophiæ vsum monstrauit, Methodicam tractationem ad materias Theologicas accommodauit, ac vtriusq; Theologiæ, & Philosophiæ discrimen rectè docuit.

Propria laus Philippi.

Hoc ergo proprium habet & peculiare D. Philippus, sibiq; iure vendicat, quod & pauciora & breuiora tradidit præcepta atq; exemplis vtilissimis illustrarit, & vsum eorum monstrarit: Studia artium, linguarum, ac veræ Philosophiæ, Mathematum, sua industria & authoritate accenderit, & quasi postliminio reuocarit, adq; communem vitam transtulerit. Docuit autem in schola Vvitenbergensi annis 42. non vnam aliquam solùm artem, sed omnino omnes, sicut omnium peritus erat: singulis diebus binas lectiones per totam

septimanam

septimanam, lectionibus distributis vtilia proponens auditoribus non ostentans ingenium subtilibus disputationibus quæ nullum vsum haberent, verum communi Ecclesiæ & Reipubl. vtilitati inseruientis, tantumque profecit in omnibus quantum vix aliàs, singuli Professores, in singulis artibus. Vnde diuinitus excitatum facilè est videre. Discipulos habuit & auditores singulis temporibus plerunq; bis mille.

Ad Titum Liuium de vltimis Hispaniarum & Galliarū finibus quosdā venisse Romā legimus. Pythagoras Memphiticos Vates: Plato AEgyptiū & Architam Tarentinum adisse scribitur. Ad hunc verò nostrum, nō pauci quidem, nec ex vna aut altera regione, sed ex omnibus Germaniæ oris, & quid dico Germaniæ? imo ex omnibus propemodum totius Europæ prouinciis & regnis, ex Gallia, Anglia, Hungaria, Transyluania, Polonia, Dania, Bohemia, & ex Italia quoq; ipsa, fama nominis ipsius excitati, plurimi omnibus temporibus Vvitenbergā confluxerūt.

Quot igitur millia discipulorum, totius vitę curriculo habuisse existimabimus, qui eum profitētem audiuere, & grati præceptorem suum agnoscūt, indeq; in varias Regiones dispersi, merces, quas illic comparauerant, exponāt & distribuant? Quid? quod etiam aduersarij, qui diuersam ab ipso Religionem colunt, tamen lectione librorum ipsius delectātur? magni eruditionem viri faciūt, industriam & dexteritatem in docendo admirantur?

At nunc Witebergenses doctores non pudet lectione librorum Philippi suis interdicere. O scelus. Excipe apostatas & inprimis modernos Witebergenses. *licet magno conatu tui discipuli, Heerbrande, ea tentant opprimere & sepelire: viuent tamen.

Et in tota Germania, omnes Cathedræ, Scholæ & pulpita, scripta ipsius sonant: hęc omnium manibus, tam puerorum quàm adultorū feruntur, quod testimonium est euidētissimum & minimè fallax, scripta hæc immortalitatem habitura.*

At Witebergenses isti noui

Quibus rebus motus vir ille Dei, Martinus Lutherus nō absurdè dixisse mihi videtur, eum, qui Philippum præceptorem suū non agnoscat, stupidum & stolidum esse asinum, & beanū, qui opinione & fiducia ingenij sui feratur & regatur. Nam quicquid vsquam in artibus

artibus & vera Philosophia sciamus hoc Philippū præstare: Titulo quidem humili Magistri esse insignitū, sed longè excellere omnibus Doctoribus, nec quenquam in terris sub sole talibus donis ornatum, ideo magnificiendum, Qui vero hunc virum contemnat, etiam coram Deo fore ignobilem.

Philippū non agnoscunt præceptorem. Ergo sunt stolidi asini & superbi beani, de D. Lutheri sententia.

Magna sunt hæc fateor, ornatiss. auditores, quæ hactenus de huius viri laboribus, scriptis, studiis, & meritis in Rempub. literariam à nobis sunt commemorata, & sufficerent.

Sed restant alia maiora. Nec enim in his studiis substitit, cum alio quoq; cōsilio diuinitus esset excitatus & Vvitenbergam euocatus. Quod reuerendus vir D.D. Martin. Luther. intellexit, nec dissimulauit, nempe vt ipse restaurator syncerioris & veræ religionis, socium laboris, & Thesea in illustranda & promouenda Theologia haberet.

Absque Theseo hoc Luther tantū non potuisset.

Nam Dominus Philippus Methodum, qua initia, progressus, & fines rerum indagantur, & genus dicendi elegātius, tersum, facile, proprium & ner-

uosum adhibuit. Hinc factum est, vt magno cum applausu ab omnibus scripta ipsius sint excepta, & religio vera etiam ad exteros per scripta & discipulos sit propagata.

Doctrina Philippi.

Quare non modò de mortui laudibus in hac historiæ recitatione cogitemus, sed multò magis doctrinæ genus quod professus est, considerandum erit, vt de admiranda Ecclesiæ gubernatione commonefiamus, quod filius Dei sedens ad dexteram æterni patris, dona dat hominibus, Prophetas & Doctores idoneos subinde excitãs, qui doctrinã cœlestem figmentis hominum obscuratam, in lucem proferãt, statum Ecclesiæ collapsũ restaurent, & religionem deprauatam pristino nitori restituant: quo Deo colligatur voce & ministerio docentium cœtus aliquis, quî in hac vita ex præscripto verbi eius rectè eum agnoscat, inuocet, & in hac præsenti, & futura vita cum sanctis & castis Angelis perpetuo celebret. Hos doctores Deus ex scholis docentium & discentium scripta Prophetica & Apostolica

postolica sumit.

Tale organum electum etiam hic noster fuit, qui disputationum Paulinarum, in Epistolis, de Iustificatione gratuita solius fidei, ex misericordia Dei propter mediatorem Christum, dispositionem & ordinem, Spiritu sancto doctore, primus animaduertit, & Ecclesiæ mónstrauit. Quod igitur vsitata Scholasticorum & Monachorum deliria potius, atq; commenta, quàm fidei dogmata repudiauit, non puerili leuitate, incogitantia & temeritate factum est, sed neque M. Lutheri authoritate, vel societate motus id fecit. Dū enim hic etiamnum viueret, inutiles, spinosas, intricatas & friuolas scholasticorum opiniones, & disputationes, adeoque totum illud doctrinæ genus quod neglecta sacrosanctæ Scripturæ authoritate, Aristotelem cum Theologia confundit, & ex duobus integris vnum corruptū facit, traditiones hominum non scriptas, Decreta Pontificum, & conciliorum sine vllo discrimine recipit, hominibus prætoriam

interpretandi scripturam, authoritatem tribuit, vt id sonare cogatur quod ipsi volunt, quasi propter locum & gradum errare non possint, Hoc inquam doctrinæ genus tum abiecit.

Inprimis in articulo de Cœna Domini.

Sed diligenter scriptis Propheticis & Apostolicis euolutis, adhibita etiam Patrum lectione, totam antiquitatem consuluit & contulit, atque ex hac sententiarum collatione, corpus integrũ doctrinæ scripsit, in quo omnes propemodum, certe præcipuas Theologicas materias (cùm alij alias tantum tractarint) monstratis veris fontibus ex sacra scriptura, est complexus, idq; solita sua dexteritate: vnde facile legentibus apparet, quid de singulis doctrinæ partibus senserit. Nec opus esse arbitror vt ordine recenseam, cum extet liber, & in omnium manibus versetur.

Corpus doctrinæ Philippicum.

Id scriptum, quod initio hypotheses Theologicas, postea locos communes Theologicos appellauit, aliquoties longo rerum vsu, disputationibus, lectionibus, exercitiis, pietate magis instructus, recognouit & locupletauit.

Loci communes.

Nec

Nec enim vt priuatæ consuleret tranquillitati, medius, aut esse, aut haberi voluit. Hoc ne Solon quidem in sua Repub. ferebat, vt mota seditione, neutram quis factionem sequeretur, sed honoribus tales, quos neutrales vocãt, abdicabat, cuius legis rationem Plutarchus hanc affert: Ne quis neglecta Reipub. cura & salute, priuatis tantum commodis studeret, & suæ tranquillitati consuleret.

Philippi profectum & recognitionem scriptorũ infectãtur Witebergenses.

Fuit autem D. Philippus natura miti ingenio, studiosus pacis & concordiæ, amans tranquillitatis, abhorruit ab omnibus seditiosis & tribunitiis consiliis, moderatus & verè ἥθικος, gratus omnibus, & vt scimus, in summa authoritate, Ideoque si voluisset, facile in tuto esse poterat, & otio studere. Nec deerat acumẽ ingenij, vt potuerit conciliationes dogmatum fucatas instituere, flexiloqua & ambigua, quæ in vtramque partem detorqueri possent, vocabula excogitare: Sed fuit constans nec suis commodis voluit attemperare Religionem, nec doctrinæ genus,

Moderatio Philippi.

Mendaces igitur Witenbergenses, qui fucosas conciliationes Philippo tribuunt.

quod nouerat cum sacra scriptura consentire, mutare, aut colludendo cum aduersariis, prodere.

Hoc vnum in Erasmo, quem cætera optimè de literis meritum magnificiebat, desiderare eum memini, quòd non apertè suam sententiam in causa & cõtrouersiis Religionis diceret, nollet periclitari de suis fortunis & existimatione nominis sui, neq; authoritatem suam, qua apud Reges, Principes, Cardinales & Episcopos, & omnino omnes polleret plurimum, interponere, quò Ecclesiæ & Religionis status emendaretur. Audiui enim dicentem, quod cum ea de re scripto virum admonuisset, nõ aliud tulerit responsum quàm ἔργα νέων, βουλαὶ δὲ μεσσῶν, ἐυχαὶ δὲ γερόντων.

Erasmus neutralis.

Significans se iam senio confectum precibus occupatum: hoc verò negotium aliis committendum, quibus adhuc maiores essent vires, qui labores & onera gubernationis possent ferre, & consilio valerent.

Non talis hic noster fuit, vt callidè suam

ſuam diſſimularet ſententiam, ne propter confeſſionem, in diſcrimen fortunas adduceret, neque ambiguo aut improprio ſermone caliginem offundere auditoribus, & lectoribus voluit. Nec enim in dogmatibus luſit, fingendis nouis opinionibus, aut interpretationibus, nec noua commentus eſt dogmata, antiquitati ignota, tametſi valeret ingenio, eruditione, & multis aliis rebus eſſet inſtructus, non tamen tantum ſibi permiſit, neq; ingenio indulſit: Sed quemadmodum ipſe in tota vita & omnibus actionibus apertus fuit, ſyncerus & candidus, ita in profeſſione doctrinæ, proprietate ſermonis & orationis eſt ſemper delectatus, verum genuinam ac natiuam ſententiam, quam ſermonis proprietas, & fidei analogia offerunt, facta collatione eruebat, & id quod ſentiebat voce & ſcriptis, cum in aliis pluribus, tum in primis in locis communibus eſt profeſſus.

Philippus apertus & conſtans.

Cumq; in hoc noſtra verſetur oratio, & magnus ſit horum Locorũ communium vſus, atque in omnium fere

manibus versentur, non possum præterire, quin iudicium Domini Doctoris Martini Lutheri, de eis recitē. Spero enim non fore auditoribus ingratum.

Lutheri de locis Philippi iudicium.

Witebergenses Lutherani eos quasi erroneos traducunt, & explodunt.

Adeò autem de illis honorificè sensit, vt dixerit, Non extare vllum aliud opus præstantius post Apostolica scripta Locis communibus D. Philippi, ideoque in Ecclesiis & Scholis retinendū: Quia in eo doceat, pugnet & triumphet, ac totum corpus cœlestis doctrinæ in eo complectatur: nec in omnibus omnium Patrum scriptis, tantum reperiri eruditionis Theologicæ, quantum in locis hisce communibus. Et si omnia illorum scripta conflentur, & colliquescerent, non tamen locos Philippi inde prodituros.

Colloquia

Adhibitus postea diiudicationibus dogmatum & controuersiarum, ac grauissimis deliberationibus, vbi de tota religione est disputatum, Interfuit plerisq; Comitiis Imperialibus, conuentibus Principum, & Theologorum, ac colloquiis omnibus publicis, quæ toto tempore hoc sunt instituta. Nec fuit il-

lic

lic otiosus spectator, aut κωφὸν πρόσωπον sed præcipuas semper egit partes, omnia scripta composuit, cum aduersariis est congressus, & in acie steterit, ac constantiam præstitit viro bono dignam, Nec vnquam victus discessit, sed maxima ingenij celeritate & acumine, Sophisticen intellexit, & deprehendit, atque intricatas & inuolutas quæstiones ac nodos gordios gladio verbi Dei discecuit & dissoluit.

Scripsit & tempore periculosissimo, cum omnia peritura videbantur Comitijs Augustanis, fidei confessionem, communicato cum aliis Consilio, quę ibidem exhibita est Impetatori Carolo Quinto, in qua etiam præcipuos fidei articulos est complexus, sed breuiter, vt in confessione fieri solet. Hæc confessio latè sparsa est, & habet sectatores non paucos, nec ignobiles, ac permansuram etiam ad finem mundi, contra inferorum portas, speramus. Cuius etsi aduersarij refutationem tum instituerint, eam tamē neq; publicè in lucem edere vnquam ausi sunt, neq; Statibus

Confessio Augustana.

Imperij, qui confessionem exhibuerat; ab ipso Imperatore petentibus, copiam eius sibi fieri, inspiciendam dare voluerunt. Videbant enim sua frigida esse, & friuola, nec posse Clarissimæ luci, quæ in Confessione splendebat, tenebras offundi, aut aliquid certi & firmi opponi.

Scripsit postea in iisdem Comitijs Apologiam, in qua & Confessionem defendit pluribus argumentis, & aduersariorum confutationem publice obiter lectam, refutat.

Ad ipsum tanquam Delphicum Apollinis oraculum in causis difficilimis omnes propemodum Ecclesiæ, imò & Principes plurimi confugerunt, sententiam ipsius & iudicium audire cupientes. Quibus laboribus hæc tes ei constiterit, quiuis facile intelligit.

Labores Philippi.

In hunc modum, his laboribus & studiis perpetuo occupatus, vbi Tubinga discessit, Reipubl. literariæ, cum docendo tum scribendo XLII. annis inseruiuit.

Deum immortalem, quanta fœlicitas

citas, frui tanto tempore, tam salutari Doctore? Ego certè etsi probè meæ tenuitatis mihi sim conscius, nec tātum profecerim hoc præceptore, quantum debueram, tamen hanc summam fœlicitatem, quæ mihi in terris contingere potuit, iudico, quòd mihi toto quinquennio, duos istos Heroas, Martinum Lutherum dico & Philippum Melanthonem, præceptores meos perpetua obseruantia colendos, audiendi copia sit facta.

Et quod Irenęus de Polycarpo Smyrneorum Episcopo, qui fuerat discipulus Ioannis Apostoli & Euāgelistæ scribit, multa sæpe doctoris sui dicta narrare solitum, quibus addit, se adhuc voces ipsius, quasi in auribus suis sonantes audire: id de me verissimè possum affirmare, me adhuc, non modò voces horum virorum in auribus tinnientes audire, sed adeò tenaciter menti meæ insculptas, & impressas quasi ipsorum effigies, ac si oculis hisce præsentes coram assistere cernerem, ijsque me sæpe oblecto, ac

ſperò, me ſuo tempore, illos in beata illa vita denuò viſurum, collocuturum, ac conuerſaturum.

Sed quò me abripit affectus? Redeamus ergo ad inſtitutum. Dixi de ſtudiis & laboribus D. Philippi, quos cõtinuos in tenui corpuſculo, ſine vlla intermiſſione ſuſtinuit, vix vt reſpirare licuerit: Similiter & de doctrinæ genere, quod profeſſus eſt. Verum antequam ad alia pergam, ſtudioſos admonendos eſſe duxi, vt exemplo tanti viri ſe in diſcendo exſuſcitent, & ad labores perferendos aſſuefaciant.

Themiſtoclem dixiſſe ſcribitur, Miltiadis Trophęum, non patitur me dormire neq; ceſſare. Nec nos ergo tanti viri laudes, eruditio inſſignis, & res præclarè geſtæ otioſos eſſe ſinant: ſed ignauiam, oſcitantiam & veternum excutiant. Neque enim ad otium vocamur, cum vel ad ſtudia, vel ad Eccleſiæ adminiſtrationem, vel docendi munus in ſcholis adhibemur, Nam otium literarum, quod ſic dicitur, non eſt ignauum otium, vt centauri nonnulli iudicant,

qui

qui suos labores tãtum magnificiunt, aliorum vero, quos nec intelligũt, nec præstare possunt, extenuant & contemnunt: Sed maximum est, & laboriosissimum negotium. Intentio enim animi, studium, assiduitas in lectione, & meditatione, & vt vno verbo dicam, maximi labores requirũtur ab his, qui in scholis versantur, & vel discendi, vel docendi munere funguntur. Omnes scholæ ingentia onera, non tantum in docendo & discendo, sed etiam iudiciis de dogmatibus, & diiudicationibus controuersiarum, quæ inde petuntur, aliisque innumeris difficultatibus, quas non nisi experti intelligunt, sustinent. Quare studio & diligẽtia in scholis opus est, & in discendo & docendo, vt doctrinam solidam comparemus, & ad ferẽdos labores nos præparemus.

Nec inanes aut irriti fuere huius viri præclari conatus & labores, sed gubernatio scholæ, quæ semper in maximo erat flore, fœlix fuit, authoritate summa pollebat, vt omnes tam summi quàm infimi, libenter communẽ præ-

Contraria iam faciũt Witebergenses Theologi.

ceptorem & vocarent & agnoscerent, summa obseruantia & reuerentia, non secus ac semideum coluerunt, monitis ipsius libenter obtemperârunt. Neq; vllus vnquam studiosus adeò fuit ferox, adeò barbarus, nullus ita commotus, qui non viso, vel etiam audito tantum Philippo, statim aufugiẽdum sibi existimarit. Quin etiam interdum tumultus maximi, interuentu præceptoris inermis dissipati sunt, nusquam authoribus comparentibus.

Scripta eius quàm auidè sint ab omnibus expetita & lecta, quantam habeant apud omnes gratiam, & bono studio in alias atque alias formas certatim mutata, in alias linguas translata, quis adeò cæcus est, qui non videat? Quin vel nomen Melanthonis sacrum est, non solùm apud suos, sed etiam hostibus venerabile. Nam & rex Galliæ Frãciscus audire eum & conferre cum ipso desiderauit. Hæc verè Heroica sunt, nec vlli triumphi habent plus veræ laudis.

Non autem humana industria, nec

soli

solis humanis viribus & consiliis feliciter regitur vocatio, aut salutaria fiũt, sed peculiare Dei donum est, in gubernatione authoritas & euentus fœlices. Paratur quidem authoritas, eximia pietate, virtute, eruditione & prudentia: Verum necesse est diuinitus in hominum animis fieri inclinationem, vt rectè monentes diligant, magnifaciant, & obtemperent, opus est diuino auxilio in dando consilio, & successibus salutaribus. Hæc sæpissimè ex ore ipsius, hac Salomonis sententia confirmari, audire me memini. Vt oculus videat & auris audiat, Deus facit vtrunque, hoc est, vt gubernatores prudentia excellãt, futuros casus, & mala præuideant, & qua ratione illis occurrẽdum sit, intelligant, & vt populus audiat atq; obtemperet, vtrumq; solius Dei beneficiũ est.

Iam etiam quædam de priuata vita & moribus D. Philippi addenda esse video, quod faciam breuiter, non quod pauca sint, quæ de his honorificè dici possint, sed ne prolixitate orationis molestus sim. Tametsi confidam nulla

quantumuis longa oratione, de tanto viro animos auditorum exatiari posse. Hic vero latissimus dicendi campus se mihi aperit. Quod si pro dignitate virtutes viri tractandæ, & meritis laudibus ornandæ essent, nimis foret prolixum: ideo in pauca contraham.

Fuit in hoc viro excellens pietas, qua Deum ex verbo suo verè agnouit, & amplexus est totam doctrinam ab ipso traditam, in eaque acquieuit, reuerenter se ei subiiciens, voluntate & verbo eius omnia sua consilia & actiones omnes in vita spirituali & ciuili gubernauit & obedientiam debitam præstitit. Subinde illud Psalmi repetens, Lucerna pedibus meis verbum tuum.

Pietas Philippi.

Honorificentissimè de ministerio verbi sensit, id etiam quibuscunq; potuit officiis ornauit, verbis quoque & factis publicè declarauit, quæ cœtum pro vera Ecclesia agnosceret, cuius ciuis esse velit. Et frequenter in publicis conuentibus Ecclesiæ conspici voluit, non solum, vt alijs exemplo esset, sed quia Spiritum sanctum per vocale ministerium

nisteriũ verbi efficacẽ esse norat, & filiũ Dei in medio esse: idq; a nobis omnib. Deum seuerissimè suo mãdato requirere, & vt in cœtu piorum fides sua confirmaretur, & inuocatio Dei in se accenderetur, sicut assiduè gemitibus inenarrabilibus vota faciebat, & preces ardentissimas pro se & tota Ecclesia fundebat, cuius rei testes mihi sunt omnes, qui cum ipso fuere, quorum etiam nonnullos hîc assidentes video.

Etsi autem nemo in hac naturæ infirmitate, sine labe aliqua sit, qua vita ipsius aspergatur, tamen minime obscurum est, hunc virum multis magnis & verè heroicis virtutibus fuisse ornatum. Candidus fuit, syncerus, apertus, minimè suspicax, sed ex se de aliis iudicium faciebat, amans veritatis, non lusit præstigiis aut sophismatibus, sed ex animo sophisticen est detestatus, nequaquam φιλάυτος sed φιλαλήθης. Alios se longè inferiores magnifaciens, suo labore & sudore libros scriptos, & alia interdum sub amicorum nomine, vt ipsos quoque celebres redderet, ædidit. Syncritas. Modestia.

Humanitas, Summa erga omnes etiam infimos, humanitate vſus eſt, maximè erga exteros, Morum ſuauitas mirabilis, Caſtitas magna, & nequaquam vulgaris, In amicos beneuolus, & conſtans in amicitia. Erga pauperes miſericors, vt propemodum omnia ſua in illos diſtribuerit: & verè in eo viſcera miſericordiæ fuerunt, vt non magnas eum facultates & diuitias hæredibus ſuis reliquiſſe exiſtimem, tametſi non defuiſſent occaſiones augendi rem familiarem, idque honeſtè, modò voluiſſet, facere poterat. Omnibus ſeruiuit, pauperes ſtudioſos, & quoſcunque potuit ſuis commendationibus & interceſſionibus, ad Magiſtratus ſcriptis iuuit. Studia aliorum promouit, nec vnquã vlli bono, imo nec interdũ indignis etiam officia eius defuere. In vocatione ſua fideliſſimus fuit, plus præſtans, quàm à ſe requireretur. Sed quid facio, virtutes ipſius ordine commemorando? Non mihi ſi linguæ centum, oráq; centum eſſent, omnes poſſem virtutes eius, & meritas dicere laudes. Verùm vt paucis

& vno verbo omnia dicam, Tota vita exemplar fuit multarum pulcherrimarum virtutum, ad quas non formatus, sed natus, imo diuinitus excitatus & præparatus videtur.

Tantus vir cùm fuerit talibus virtutibus ornatus, tamen aduersus morsus quorundam Sycophantarũ, tutus esse non potuit: Quod mirum adeo nõ est, cùm semper virtutis comes sit inuidia. Nouerãt isti argumenta hæc esse plausibilia, cum ignobile vulgus plerunque superiores oderit, & eorum diffamatione delectetur. Aeditis itaq; nonnullis libellis, sparserunt quædam de fucatis conciliationibus dogmatum, pactis colluſione, & conspiratione cum aduersariis factis, de mutatione Doctrinæ, & rituum Ecclesiasticorum, coniecturis, & rumusculis quibusdam hinc inde vagantibus collectis, quibus optimum virum coram tota Ecclesia miserrimè traduxerunt, deformarunt, & animum senis pijssimi excruciarunt. Hoc illi nihil in vita acerbius accidere potuit. Multò enim discipulorum & a-

Arrigite aures Flaciani Witebergenses, Vobis hęc dicuntur.

micorum probra, ac ingratitudo grauiora sunt, quàm inimicorũ, longeque has magnitudine doloris exuperant.

De istis autem negotiis atque rebus, me disputare neq; decet, neque par est, Non enim tractationibus vllis ego interfui. Et historica earum commemoratio publicè extat, ad quæ scripta remitto cupidos cognoscendi res istas, quæ neque copiosè in præsentia differendæ, neque vt ego existimo, penitus prætereundæ erant. Quæ item fuerit sententia eius de Cœna Domini, de libero arbitrio, & aliis id genus doctrinæ articulis, quos nonnulli solent inhumaniter exagitare: malo pij omnes è scriptis potius ipsius, quàm ex aliorum clamoribus cognoscant.

Idem cupiunt orthodoxi omnes.

Et vt quanti cœnam Domini faceret, omnes intelligerent, paulò ante obitum suum, diebus scilicet septẽ, cum iam febri laboraret, qua & extinctus est publicè in Templo, cum aliis eam percepit, vt viaticum haberet animæ in patriam cœlestem, & hoc modo publicè testaretur, cum qua Ecclesia fide, animo,

nimo, sententia, voluntate, confessione & consensu coniunctus esset. Neq; enim Ecclesiam Vvitenbergensem ab illa doctrina & confessione, quam viuo suo Doctore & patre, Domino Martino Luthero fortiter defendit, defeciſſe, mihi quisquā facile persuadebit.

Iam igitur ordo rei postulat, vt cum oratio nostra eò deducta sit, & tempus admoneat, de postremo hoc actu, qui valde placidus fuit, breuiter nonnihil addamus, quo tandem finem faciamus. Ipsa die Palmarū febri correptus est, quę tamen initio vires quantumuis aliàs exhaustas, non vsq; adeò debilitauit. Sequentibus enim diebus Martis, Iouis, & Veneris, quibus à lectionibus alij vacabant, suo more in publico Auditorio docuit, vt amici in bonā spem venirent eum conualiturum. Nam & sequenti die Sabbathi sacris interfuit, vt dictum est. Verum morbus postea inualuit, in quo, & patientiam, & obedientiam miram præstitit, & vt in tota vita ardentissimis precibus, se, suamq; salutem & totam posteritatem, veris

gemitibus, filio Dei commendauit, ita hoc ipsum præcipuè toto tẽpore, quo decumbebat præstitit, ac tandem vi morbi naturam superante, decimanona die Aprilis, paulò ante horam septimam pomeridianam, inter gemitus, vota, suspiria, & inuocationẽ filij Dei, cui se toto pectore commendauit, ex hac ærumnosa vita, & schola, cui longissimo tempore vtilissimè seruiuit, euocatus est, cùm vixisset annis sexaginta tribus, Mensibus duobus, & tribus diebus, & ferè eodem momento temporis quo natus est, expirauit. Viuit autem iam & fruitur vita meliori, non amplius in scholę laboribus, quibus ita assuetus erat, vt ne postremo vitæ tempore, atq; articulo propemodum mortis deserere voluerit: sed in cœlesti schola, ad quam dudum se euocari ardentissimè petiit, in qua fruitur conspectu filij Dei, & consuetudine atque colloquiis dulcissimis, summorum Ecclesiæ Doctorum, Adæ, Noah, Abrahæ, Prophetarum, Apostolorum, quorũ scripta amplexus est, & doctissimis enarrationibus

Obitus Philippi.

tionibus illustrauit, Patrum, & venerandi viri D. Martini Lutheri, cum quo annis viginti octo coniunctissimè in terris vixit, & de multis magnis rebus quottidie contulit.

Dixit Plato, Philosophiã esse meditationem mortis, iudicans in eo summam sapientiam consistere, si ad mortem obeundam rectè quispiam se præpararet, & in tota vita se assuefaciat. Hoc si quisquam alius, hic certe noster fecit. Hæc enim ipsius fuere colloquia, hi sermones, hæ cogitationes, hoc ipsum scripta sonabant, De præsentis vitę miseria & fugacitate, de immortalitate animæ, de resurrectione mortuorum, de vita æterna, de conuersatione piorum cum Deo, & omnibus electis, de schola cœlesti &c. Collegit de his omnibus & singulis, argumenta plurima, testimonia insignia, & illustres promissiones diuinitus traditas, quibus etiam in extremo agone se erexit & confirmauit, vt magno animo mortem fortiter adierit, & placide in Christo obdormierit. Dubium igitur

non est, quin Doctor in hisce nostris scholis insignis, in illam cœlestē schola ab Angelis castis, castus ipse sit deductus, & à filio Dei, cui se commendauerit, in æterna tabernacula receptus, vbi fulgebit sicut splendor firmamenti, & quasi stellæ in perpetuas æternitates.

Hanc ei fœlicitatem non inuideamus, sed orbitatem nostram deploremus, ac de imminentibus malis cogitemus. Plerumq; enim tantorum virorū obitus, ominosi sunt, & prænuncij futurarū calamitatū, Esaia teste, qui, inquit, Viri misericordiæ colliguntur, & nō est qui intelligat: à facie mali colligitur iustus. Deus enim motus precibus horum Virorum, qui instar muri sunt & propugnaculorum, reprimit conatus, & impetus Tyrannorum, ac hostium Ecclesiæ, pœnasq; differt, donec collectis granis, paleas comburat. His enim sublatis, qui sua authoritate multitudinem in officio retinebant, disciplina corrumpitur, & frena laxantur cupiditatibus, inde fatales imminere

nere calamitates, quiuis facilè potest iudicare.

Stillico Dux, Ambrosio defuncto, verè vaticinatus est, hoc vito extincto, Italiam fore miserrimam, nec vanus fuit Vates. Irruptione enim Gothorū, Roma, postquam biēnio obsessa esset, capta est, Italia miserè dilacerata & vastata. Obitum Lutheri bellum Germanicum statim est subsecutum, quod ipso viuo, forte nunquam fuisset susceptum, & quæ mutationes, cum in Republ. tum in Religione, quæ item mala sint secuta, nemo est expers.

Etsi autem meritò dolendum sit, talem virū, hoc præsertim tempore, quo maximè eius opera nobis opus erat in certaminibus aduersus hostes, quæ nobis cum ipsis sunt ἀγωνοθεσία, sublatū esse, tamen gratias Deo agamus, quòd tale organon Ecclesiæ suæ donarit, & tam diu superstitem esse voluerit: Quodq; & in discipulis suis, quos plurimos reliquit, ac doctissimos, & scriptis multiplici eruditione refertis, etiamnū hodie viuat nobiscum, & victurus sit per-

petuò, quibus gratis animis fruamur, memoriam virtutum, & beneficiorũ, quæ in vniuersam Ecclesiam contulit, honorificè conseruemus; & pietatem ac gratitudinem quam Deus præceptoribus reddere iubet, præstemus. Hoc certe ipsi pro laboribus, quibus omnium studia, posteritatis etiam, iuuit & promouit, debemus.

Interim nos hac spe sustentemus, quòd filius Dei, Mediator, sedens ad dexteram æterni Patris, vt det dona hominibus, subinde excitet Doctores, quorum opera salutaris est Ecclesiæ. Quam vt perpetuo clementer protegat, & puritatem doctrinæ Religionis à D. Philippo & Reuerendo D. Martin. Luthero nobis restitutam, ad omnem posteritatem in his, & aliis regionibus propaget, veris gemitibus & ardentissimis precibus ab ipso petamus.

* *
*

LAMEN-

LAMENTATIO
Cathedræ Vvitebergensis.
Parodia Propertiana.

Qvæ fuerant sedes olim sacrata Lutheri,
Ausonio pulchrè nota Cathedra Popæ;
Externę cuius celebrârunt limina gentes,
Lætitia effusis humida lacrymulis:
Nunc ego doctorum potorum saucia rixis
Cogor ad ignaros plurima sæpe queri.
Et mihi non desunt falsi pendêre libelli
Carminaq́ attritas ante iacêre fores.
Nec possum errores infames sola tueri,
Quos risu impleuit meq́ aliasq́ Faber.
Nec tamen est vllus propriæ qui parcere famæ
Cogitet, & priscam qui reuocare fidem.
Hoc ego continuis cogor deflere querelis,
Tristior ad uoces sancte Philippe tuas.
Quas ad me ex tumulo proferre subindè vidè-
Euenturi augur prouidus exitij. (ris
O Cathedra antiqua, & dominis prope doctior ipsis,
Quid mihi tam longō tempore vera taces?
Cur non admittis nostri monumenta laboris,
Nescia blasphemis cedere dogmatibus?
Nullâne finis erit nostro concessa dolori?
Ingratusq́ sub hoc marmore somnus erit?

O utinam meæ vox traiecta foramine tumbæ,
Percussas domini vertat ad auriculas.
Videlicet (Illyrici Flacij suadente cohorte)
Infestusq; mihi discipulisq; meis.
Non tamen ille timax veri peruersa probabit.
Nec Fabri arte recens edita monstra feret
Sed nunc alterius sermone obstupefactus hæret,
Nostrásq; nocturnis verba eadũt Zephyris.
Salue sola, mei nunc maxima causa doloris,
Omnibus Europæ nota Cathedra locis.
Te non illa meæ fædârunt crimina linguæ,
Non oneri tibi ego dedecorive fui.
Sæpe tibi sacris deduxi dogmata chartis,
Dogmata Romanis non toleranda Popis.
Non aliis, quorum renouat vesania crassos
Eutychis errores, Nestoriosq; simul.
Hæc vel non multum his diuersa videre Melanthon
Dicere: plura alij, quæ reticere libet.
Sic ego doctorum vitijs, iustisq; piorum
Questibus æterna differor inuidia.